# JOH. BRUNNEMANNI, JC. QUONDAM CONSILIAR. ELECT. BRANDENB. & FACULTATIS...

Johann Brunnemann, Samuel Stryk,
Johann Joachim Chemnitz

Digitized by Google

# JOH. BRUNNEMANNI, JC.

Quondam Conſiliar. Elect. Brandenb. & Facultatis Juridicæ in Univerſitate Francofurtana ORDINARII,

*DE*

# PROCESSU CONCURSUS CREDITORUM

## PRÆLECTIONES PUBLICÆ,

NOTIS

ET ADDITIONIBUS NECESSARIIS ILLUSTRATÆ

A

## SAMUELE STRYKIO, JC.

*ACCESSIT*

JOACHIMI CHEMNITII,

Quondam Conſiliarii Elect. Brand. & Conſiſtorii Præſidis,

DISSERTATIO

DE JURE PRÆLATIONIS CREDITORUM,

&

INDEX RERUM ac VERBORUM.

*Editio quinta auctior & correctior.*

CUM PRIVILEGIO SAXONICO ET BRANDENBURGICO.

---

*FRANCOFURTI AD VIADRUM,*
Apud JEREMIAM SCHREY, & JOH. CHRISTOPHORUM HARTMANNUM, MDCC VII.

Digitized by Google

b 17. 5. 15 3/

Digitized by Google

# LECTORI BENEVOLO

## Salutem!

HAbes hic B. Brunnemanni Lectiones ad Proceſſum Concurſus Creditorum, quas ultimas fere biennio ante obitum Auditoribus ſuis propoſuit. Materia quidem per ſe ſatis ampla, & inde prolixiori tractatione digna. Verum & multa paucis dici poſſunt, quod in præſentibus paginis factum eſſe, obſervabis facile. Quicquid enim in illo Creditorum Labyrintho vel cavendum, vel obſervandum, conciſe hic propoſitum videbis. Quapropter non paucorum deſiderio ſatisfacturus, ante annos aliquot prælo easdem commiſi, Auditoribusque meis propoſui, monitaque quædam in eorum gratiam calamo concredenda cenſui, non illo animo, ut unquam luci publicæ donarentur, ſed ut

Digitized by Google

ut ſtudioſi illa, quæ per diſcurſum propoſita, eo commodius in mentem ſibi revocare poſſent. Verum cum paucis abhinc annis illas Osnabrugæ Bibliopola quidam, me plane inſcio, edidiſſet, ſed vitioſe admodum, depravatoque hinc inde ſenſu, neceſſitas ipſa, tuaque, Benevole Lector, utilitas mihi legem dixit, ut furtivam illam & vitioſam editionem correctiori & auctiori notarum publicatione emendarem; quod hic in veſtibulo monendum eſſe cenſui; ne Oſnabrugenſi illa editione decipiaris. Bene Vale, & æqua fronte hanc opellam, Studioſorum utilitate exigente calamo concreditam, & denuo reviſam, ſuſcipe. Dabam VVittebergæ ipſo diſceſſus die ad Academiam Hallenſem, qui eſt XIV. Dec. MDCXCII.

Digitized by Google

# CAPUT I.

## DE
# CONCURSU IN GENERE,
## EJUSQUE PRÆLIMINARIBUS.
### SUMMARIA.

1. *Quotuplex Concurſus?*
2. *Quis* Judex *a debitore adeundus?*
3. *Debitor ipſe concurſum petere debet.*
4. *Creditores debitore invito concurſum excitare non poſſunt.*
5. *Ad concurſum omnes admittuntur.*
6. *Quomodo hic bona cedi debeant?*
7. *An nomina creditorum exprimenda?*
8. Effectus *moti concurſus varii.*
9. *Concurſus non impedit creditorem, quo minus alios ſibi obligatos convenire poſſit, nec privat debitorem dominio.*
10. Contradictor *in concurſu conſtituendus, a quo differt curator.*
11. De Officio *curatoris bonorum.*
12. *De ſumptibus concurſus.*
13. Diſtractio bonorum *aliquando in principio Fieri poteſt.*



Digitized by Google

§. I.

DE Proceſſu Concurrentium creditorum in compendio acturi, quoad concurſus æquivocationem præmittimus; quadruplicem dari concurſum creditorum: 1. Quando concurrunt ad dandam debitori communi vel dilationem moratoriam, vel remittendam partem debiti, de quo agitur in *L. 8. & ſeqq. ff. de Pact.* Fr. Salg. de Somoz. *in Labyr. Cred. P. 1. c. 1. n. 3. ſeqq.* 2. Quando agente uno ex creditoribus cum debitore communi, cæteri creditores interveniunt, de ſuo jure vigilantes, & prælationem prætendentes; ſic uxor pro dote intervenit, fiſcus pro tributis. Amator Rodriquez *de Concurſ. Cred. P. 1. n. 2.* 3. Quando debitoris forenſis & abſentis bona per arreſtum petuntur a pluribus creditoribus, vel executio a pluribus concurrentibus petitur, quem concurſum particularem dicit Salgado *d. Tr. c. 4. §. 1. n. 30.* 4. Quando ipſe debitor petit convocari ſuos creditores omnes & ſingulos, ut illis bona ſua cedat, & ex iis ſecundum cujusque creditoris prærogativam, cuique ſatisfiat. Conf. Salgado *in Lab. Cred. P. 1. c. 1. n. 3. ſeqq.*

DE

Digitized by Google

DE CONCURSU) Concurſus vocabulum unde deſcendat, vulgo notum. Diverſo tamen ſenſu in Jure noſtro capitur. Applicatur enim verbum Concurrere vel rebus, vel actionibus, vel perſonis. REBUS ſi applicetur, plerumque æqualitatem utriusque denotat, quo ſenſu concurrens quantitas dicitur in *L. 11. ff. de compenſat. L. 4. C. eod.* concurrens pecunia *in L. 58. §. Acceptis. 3. ff. ad SC. Trebell.* Interdum vero etiam cumulationem deſignat, ſic dicitur concurrens cauſa lucrativa, *§. 6. Inſt. de Legat.* concurrentia delicta. *L. 2. ff. de Priv. Del.* ACTIONES concurrere dicuntur, quæ de una eademque re competunt: *§. fin. Inſt. ſi quadrup. pauper. L. 130. ff. de R. J. L. 10. ff. de act. emt.* de qua materia concurſus actionum exſtat prolixa diſputatio ſub D. Brunnemann. habita.

PERSONARUM concurſus regulariter contingit ob æqualitatem juris, quod plures in eandem rem prætendunt; ſic datur Concurſus Cognatorum, *L. 1. §. 1. ff. de grad.* Concurſus Legatariorum, per *L. 80. de Legat. 3.* ubi obſervanda Phraſis: *Concurſu partes fieri*, hoc eſt, ſi plures illi, quibus una res legata, concurrant, ſive acceptent legatum, illo concurſu efficiunt, ut quisque partem capiat: *d. L. 80. & L. 1. §. 3. ff. de uſufr. accreſc.* quod alibi effertur: *legatarios concurſu dominium* (ſcil. partis) *acquirere. L. 7. C. de Legat.* Et hoc ſenſu tandem, ni fallor, uno loco tantum ab Ulpiano creditores in pignus concurrere dicuntur, *L. 7. pr. & §. 1. ff. qui pot. in pign.* ſcil. qui pari jure in eodem pignore gaudent. Illi ergo, qui diverſo jure utuntur, non dicuntur in pignore concurrere, ſed prior excludit poſteriorem. Quamvis enim in *d. L. 7. pr.* etiam caſus occurrat, ubi inter antiquiorem creditorem, & illum, cujus nummis res comparata, concurſus eſſe dicitur; hoc tamen intelligendum, ſi prioris creditum non exhauriat pignus, ſic enim prior poſteriorem excludere nequit, & eatenus concurrunt. Inter quos ergo eſt excluſio, inter illos concurſus eſſe



Digitized by Google

nequit, niſi improprie talis. Apparet exinde, concurſum creditorum, de quo hic agitur, non appellari talem, ratione hypothecæ, vel rei obligatæ: quamvis enim & hoc ſæpius inter plures creditores, idem ſpeciale pignus habentes, eveniat; attamen & hic concurrunt illi, quibus nulla hypotheca competit, quales ſunt nudi chirographarii; ſed ratione debitoris obligati, cum obligatio, qualiscunque demum ſit, perſonam debitoris afficiat. *L. 3. pr. de O. & A.* Hinc concurſus ille creditorum etiam fit ratione perſonæ debitoris, quo ab hoc ſolutio extorqueatur; qui ſi ſolvendo non ſit, bona quidem creditoribus offert, ut inde ſibi ſatisfaciant, & de prioritate diſputent: nemo tamen creditorum, utut ex bonis nihil conſequatur, excluditur, quo minus impoſterum a perſona debitoris, ſi forte ad pinguiorem fortunam pervenerit, debitum exigere poſſit. Quod ſi tamen debitor penitus non adſit, utpote ſi mortuus, ſolus concurſus in bonis remanebit.

PROCESSU) Proceſſus hic dicitur alias Cridæ proceſſus, eapropter, quod hic contra creditores per edictalem citationem procedatur. Sunt enim Cridæ nihil aliud, quam proclamata publica, vel Edicta alicujus rei cauſa publicata. Vid. Peregr. *de jure fiſci. l. 5. tit. 1. num. 200.* Franzk. *l. 2. reſolut. 9. num. 21.* dicuntur ita a vocabulo Gallorum *Criée*, quod præconium vel proclamationem denotat, de quo ex profeſſo egit Petr. Rebuff. *ad Conſt. R. Galliæ pag. 2. tr. de præcon. & licitat.* Unde in aliquibus locis receptum, ſententias in concurſu creditorum ferendas ita incipere: In *Cridæ* und Erſtigkeit Sachen. Germani dicere ſolent Gand-Proceſſ, ubi Gand nihil aliud denotat, quam diſtractionem publicam vel auctionem. Vid. Beſold. *in theſ. pract. ſub voce* Gand. Sic Argentorati datur daß Gand-Hauß / ubi bona debitorum ſub auctione publica venduntur, ad quod opus eſt citatione edictali, zum Gand-Proceſſ, pariter ſicut ad concurſum,

*Speidel.*

Digitized by Google

*Speidel. in ſpec. ſub. voce* Gant. licet finito proceſſu concurſus demum perveniatur zur Vergantung/ h. e. ſubhaſtationem, de qua Autor inferius. In Pomerania hi proceſſus appellari ſolent *Oblations-Proceſſe*, vocabulo paulo honeſtiori, quam ſi bonis ceſſiſſe dicantur. Quippe dum bona creditoribus ita offerunt, videntur elegiſſe beneficium illud dationis in ſolutum, de quo in *Nov. 4. cap. 3. & Auth. Hoc niſi debitor. C. de Solut.* Quodſi tamen bona æri alieno non ſufficiant, res in effectu eodem recidit, & ex Proceſſu oblationis fit ceſſio bonorum.

CONCURRUNT) Notanter hic exigitur, ut creditores concurrant, quamvis enim ſingulis liceat debitori partem debiti remittere, quo tamen reliquos concreditores hoc factum ſtringat ad parilem remiſſionem, concurſu ſive conventu opus eſt, quo communiter de hac remiſſione deliberent, alias unius factum alteri non obſtat. *L. 7. §. ult. ibi: ſi convenerint in unum. ff. de pactis.* Pruckman. *vol. 2. conſ. 17. n. 99.* Berlich. *p. 2. Dec. 236. n. 2.* Licet, id conſvetudine non adeo ſtricte obſervari, velit Mev. *in diſcuſſ. Levam. inopia deb. c. 3. n. 155.* Quæ conſvetudo tamen minus ſecura, & conſultius eſt reliquos citare creditores, propter rationes, ab ipſo Mevio adductas *d. cap. 3. num. 109. & ſeqq.* Quod ſi quidam citati emanſerint, præſentium remiſſio abſentes obligabit, modo præſentes & remittentes majorem partem ratione omnium creditorum effecerint. Berlich. *d. Deciſ. 236. n. 7.* Trentacinquius *l. 3. Variarum Reſolution. tit. de Solutionib. Reſ. 3. n. 13.*

MORATORIAM) Vocantur hæ induciæ conventionales, quia a conventione debitoris & creditorum dependent, ſi ergo hic major pars conſenſerit in dilationem, reliqui creditores interim eum convenire non poſſunt. Carpz. *p. 2. C. 22. Def. 29.* etiamſi diſſentientes fuerint creditores hypothecarii, per *L. fin. in fin. C. qui bon. ced. poſſ.* Berlich. *p. 2. Dec. 239.*



Digitized by Google

REMITTENDAM PARTEM) Hoc tamen caſu, quo hæc remiſſio plurium noceat reliquis, requiritur, ut remittentes vel æquale jus habeant, vel potiori jure gaudeant non remittentibus. Carpz. *p. 2. C. 22. D. 28.* Berlich. *p. 2. Dec. 242.* Rodriquez. *de Concurſu Creditorum P. 1. n. 15. & ſeqq.* Conf. Acoſta *de Conc. Cred. Reg. 6. ampliat. 6.*

INTERVENIUNT) Interventio enim in omni lite admittitur, ſi interveniens præſtet juramentum calumniæ, & intereſſe doceat ſummarie. Vid. Aut. *in proc. civ. c. 13. n. 4.* In præſenti vero caſu fit interventio ad excludendum jus creditoris agentis, ea propter, quod interveniens potius jus habeat. Vid. Coler. *de Proc. Execut. p. 2. cap. 3. n. 255. & ſeqq.*

PRO DOTE) Interventio hæc uxori tunc permittitur, ſi (1) aliter dotem ſalvam habere non poſſit; (2) ſi appareat, ipſam pro tuendo ſuo jure & non pro defendendo marito intervenire, unde locus juramento calumniæ, (3) ut ſit dos liquida, (4) ut ſit potior illo creditore, qui agit, (5.) ut interveniat re integra & mox poſtquam litem ſcivit. Vid. Mev. *p. 5. Dec. 57.*

PER ARERSTUM) Conferendus hic erit caſus, quem Autor habet *Cent. 4. Dec. 28.*

PARTICULAREM) Concurſus particularis alius dicitur *ratione ſubjecti*, ubi certi tantum creditores conveniunt, exempli gratia, ut videant fieri inventarium, ut tractent cum debitore de mediis ſatisfaciendi: Mevius *part. 7. Dec. 127. num. 1. ſeqq.* alius *ratione objecti*, ubi non omnia bona, ſed certa tantum in concurſum veniunt. Sic ſi quis prædium aliquod in ſolutum accipere velit, per edictum convocari ſolent creditores, ut veniant, & hypothecam aliasve prætenſiones, quas ſe in illud prædium habere exiſtimant, probent. Vid. Aut. *Cent. 4. Dec. 63.* Idem eſt in emptione feudorum; pariter ſi diverſas

Digitized by Google

verſas tabernas habeat debitor, & creditores aliqui quoad Francofurtanam, alii quoad Lipſienſem tabernam concurrant, de quo Dd. *in L. 50. §. 1. ff. de judiciis.*

§. II.

Ultima ſpecies hujus loci eſt, ubi 1. requiritur, ut adeat debitor Judicem competentem ordinarium, cujus forum ſequi creditores tenentur. Salgado *C. 2. num. 4. & 17. & ſeqq.* Exemplo *L. Si contendat. 28. de fidejuſſ.* Sed ſpreto inferiori judicio, reus in foro ſuperiori poteſt convocationem creditorum petere, tum quod beneficio primæ inſtantiæ in ſui favorem dato, poſſit renunciare; tum quod debitor cedens bonis, miſerabilis cenſeatur perſona, & ſic ipſi recurſus pateat ad judicium Principis. *L. un. C. quando Imperat. int. pupill.* Salgado *c. 2. num. 34. ſeqq.* Et ſi hereditas ſit jacens, dato a Judice curatore, is Judex convocabit, qui fuit defuncti Judex, v. g. Clerici, Judex Eccleſiaſticus. Salgado *d. l. num. 47. & ſeqq.* Delegari vero hoc judicium poſſe, nemini dubium eſt.

TENENTUR) Debitor enim hic non actor, ſed reus eſt, utut enim creditores ad concurſum provocent, eo ipſo tamen debitor non agit, ſed ut creditores agant, & ju-

Digitized by Google

& jura ſua deducant, petit, pari modo, quo alias ex practica *L. Si contendat. 28. ff. de fidejuſſor.* creditorem ad judicium provocare ſolet. Conf. Lauterbach. *Diſput. ad L. Si contendat. th. 62.*

RENUNCIARE) Beneficium enim hoc non actori, ſed reo indultum, quo, ſi in prima inſtantia gravatus, ad ſuperiorem Judicem provocare poſſit; uti ergo licet appellationi, ita & licet primæ inſtantiæ renunciare.

IS JUDEX) Si plures habeat Judices debitor, vel ratione domicilii, vel rei ſitæ, vel contractus, electionem ipſi concedunt, ubi concurſus proceſſum movere velit. Scacc. *de judic. l. 2. c. 34. num. 43.* Quod licet Salgado *p. 1. c. 4. num. 14.* extendat ad caſum, etiamſi plures ex creditoribus jam unum judicium debitoris elegerint; non tamen id ſimpliciter admitto, ſed judicis eſt videre, annon fraudulenter id petat debitor, unde locus eſt juramento calumniæ. Imo ſemper illos creditores, qui in loco domicilii jam actiones ſuas moverunt, audiendos putarem, quo ibi concurſus excitetur, vid. Aut. *Cent. 4. Dec. 28. in f.* Gail. *2. Obſ. 130. num. 13.* Acoſta *de Privileg. Creditor. Reg. 5. Ampl. 6. Declar. 7.* Imo nec in foro rei ſitæ judicium concurſus aliter locum habere exiſtimo, quam ſi concurrentes creditores in eandem rem jus prætendant. Nec forum contractus ad alios creditores, quam quibuscum ibi contractum, pertinet. Forum itaque domicilii ordinarium erit.

CLERICI) Nam & hi urgente ære alieno bonis cedere poſſunt. *C. Odoardus. 3. X. de ſolut. C. Pervenit. 2. X. de fidejuſſor.*

ECCLESIASTICUS) Apparet exinde, competentiam fori in concurſu non ex perſona creditorum, ſed debi-

Digitized by Google

debitoris æſtimandam. Unde Clericus creditor citationi Judicis Laici ſe ſubmittere debet, quod male negat Marta *de Jurisdict. p. 4. Cent. 1. caſ. 123.* Non enim hic reus, ſed actor eſt Clericus, qui etiam non moto concurſu coram judice debitoris Laici agere debuiſſet. Vivius *Deciſ. 38. num 8.* Salgado *part. 1. cap. 6. num. 8. & ſeqq.* Ex quo ſuſpecta redditur ſententia, quam habet idem Salgado *p. 1. cap. 7. num. 14.* quando aſſerit; fiſcum creditorem, ſi ad concurſum vocetur, poſſe integrum concurſum ad judicem ſuum trahere, cui ſuper cauſis fiſcalibus ordinaria competit cognitio. Fiſcus enim regulariter Jure communi utitur cum aliis privatis; & univerſalitas hujus concurſus id non admittit, licet alias, ſi ſeparatim fiſcus ageret, eo jure uti poſſit, per *L. Si minori. 3. C. de jure fiſc.* Mevius *p. 4. Deciſ. 185.* longe tamen alia ratio eſt, ſi fiſcus ſolus agat, quam ſi cum aliis creditoribus concurrat; concurſus enim quaſcunque lites ad ſe trahit.

DELEGARI) Commiſſarii in concurſu creditorum conſtituuntur non tantum ad bonorum diſtributionem, utpote quæ vix aliter, quam per illos expeditur, ſed etiam quoad ipſius Proceſſus directionem & examinanda prioritatis jura.

## §. III.

Debitor ipſe inſtabit pro convocandis creditoribus, & offeret ſe ad ceſſionem bonorum juramento confirmandam, Dd. *ad §. ult. I. de Act.* Zaſius *in L. pen. ff. de Ceſſion. bon.* Hering.

*de fidejuſſ. cap. 5. num. 81.* Coler. *de Proc. execut. part. 3. cap. 9. num. 38.* Berlich. *p. 1. Concl. 56. n. 34.* & quos refert Salgado *d. cap. 1. num. 13. & ſeqq.* Notandum tamen, interdum convocationem creditorum peti, non ceſſionis gratia, nec adeo cum deſignatione bonorum, ſed ad deliberandum & tranſigendum cum creditoribus, quod ſolent facere heredes deliberantes, an adire velint hereditatem, Scaccia *L. 1. de jud. cap. 34. num. 19.* quod ideo nec aditæ, nec repudiatæ hereditatis argumentum eſt. Mev. *p. 4. dec. 227.* Sicut etiam cautela commendatur, quod empturus prædium, petat convocari creditores, qui jus aliquod reale habeant in illo prædio, quod tamen ad concurſum non fit. Gail. *L. 1. Obſ. 57. num. 9. Vid. tradita in Proceſſ. Civil. c. 3. num. 3. & ſeqq.*

DEBITOR) Si ſcil. ſolvendo non amplius ſit. Mev. *p. 4. Dec. 226. num. 5.* Si enim ſolvendo eſſet, malitioſe ad concurſum provocaret. Creditoribus ergo non competit facultas invito debitore concurſum excitandi, niſi forte debitor latitet, vel alias periculum diſſipationis bonorum metuendum. Mev. *p. 1. Dec. 112.*

JURAMENTO) Cum ſæpius debitores in fraudem creditorum ad concurſum provocare ſoleant, utut forte

forte habeant bona ſufficientia, recte poterunt creditores concurſui contradicere, Mev. *part. 8. Dec. 59. & 60.* Et inde in multis provinciis cauſæ cognitio præcedere ſolet, an debitor ad concurſum admittendus ſit, vel non. Imo plerumque juramento malitiæ conſtringitur debitor; ſe non niſi neceſſitate adductum ad concurſum provocare, quod in Pomerania referunt ad ſolennia concurſus.

## §. IV.

Si debitor ſit ſolvendo, & offerat ſe ad ſolutionem, invito eo creditores concurſum excitare non poſſunt, cum hoc ſit debitoris proprium. Mev. *p. 1. dec. 112.*

AD SOLUTIONEM) Hoc non tantum obtinet, concurſu creditorum nondum moto; ſed etiamſi jam motus & formatus ſit, oblata ſolutione tollitur; licet enim debitori jam facta bonorum ceſſione pœnitere: *L. 2. C. qui bon. ced. poſſ.* Salgad. *P. 3. c. 16. num. 2.* & hinc quoque concurſus iterum caſſandus. Dn. Brunn. *ad L. pen. in pr. ff. de Ceſſ. bon.* Finis enim concurſus & ceſſionis eſt, ut creditoribus ſatisfiat, qui finis ſi obtineatur, parum ſolliciti ſumus de mediis. Mev. *P. 2. Dec. 328. num. 7.* Poſtquam tamen bona ſemel addicta creditoribus, debitor offerendo ſolutionem, non amplius auditur: Dn. Brunn. *ad d. L. 2. C. qui bon. ced. poſſ.* niſi quod ex Conſtitutione Electorali Saxonica debitori annus ad reluendum conceſſus ſit. Vid. *Ordinatio Proceſſ. cap. 39. §.* Damit auch der Schuldener. Carpzov. *Lib. 4. Reſp. 8.* Philipp. *de Subhaſtat. cap. 4. §. 16. comm. 13.*



Digitized by Google

INVITO EO) Modo non appareat, debitorem animo fruſtratorio ſolutionem offerre, quo fine ipſi terminus ſtatuendus, quo ſatisfaciat creditoribus, ex. gr. daß Beklagter binnen 6. Wochen ſeine *Creditores* klagloß zu ſtellen ſchuldig/ oder/ daß in entſtehendem Fall der *Concurſ-Proceſſ* verhänget werde/ gewärtig ſeyn ſolle.

§. V.

Minor, Eccleſia, civitas, collegium etiam admittuntur ad concurſum excitandum, ita, ut non opus ſit decreto Superioris, ut in ſimplici ceſſione tradit Salgado *d. cap. 1. §. 2. num. 41.* quia ſic non fit confeſſio debiti, ſed creditores ſua nomina probare prius debent, & ideo non opus eſt contra motum concurſum reſtitutione, niſi in ipſo proceſſu læſus. Cæterum ſi motus concurſus a civitate, civitas deducit ſalaria, Carpz. *P. 3. Dec. 278.* quod de abſolute neceſſariis intelligendum.

ECCLESIA) Hæc quoque ad concurſum provocare poteſt, cum bonis cedere poſſit, Brunus *de ceſſ. bon. qu. princ. 4. qu. 2. num. 1.* adeo, ut ob urgens æs alienum non tantum res eccleſiaſticæ, ſed & ſacræ cedi poſſint creditoribus: *Nov. 120. cap. 6. Auth. Præterea. C. de SS. Eccleſ.* licet vaſa eccleſiaſtica prius conflari ſoleant. Petr. Gregor. Tholoſan. *in Syntag. L. 25. tit. 7. num. 4.*

Et

Digitized by Google

Et quamvis Eccleſiæ & civitati non neceſſaria videatur ceſſio, cum incarcerari non poſſit, liberandæ tamen a moleſtiis creditorum.

DECRETO) Scil. hoc fine, ut ad concurſum provocare liceat, ſi enim poſtea moto concurſu bona creditoribus diſtribuenda, omnino decreto opus eſt; ſic enim omnia illa ſolennia, quæ alias ad alienationem neceſſaria, adhibenda ſunt. Salgado *d. l. n. 42. & 43.*

SALARIA) Scil. Senatoribus, & aliis Miniſtris civitatis debita, quod de præteritis expeditum, quæ ſunt inſtar mercedis, quorſum tantum collimant rationes adductæ a Carpz. *d. Deciſ. 278. num. 5. & ſeqq.* pro futuris vero favor conſervandæ civitatis militat. Colerus *de Proc. execut. cap. 2. num. 288.* Unde dicendum videtur, civitati tribuendum eſſe beneficium competentiæ. Mev. *in Diſcuſſ. Levam. inop. debit. P. 4. Sect. 7. n. 37.* Et idem quoque quoad Miniſtros Eccleſiæ neceſſario obtinet, ſi ipſa Eccleſia concurſum moverit; nam & huic beneficium competentiæ tribuitur, Mev. *d. Sect. 7. n. 34.* Manzius *Patrocin. Inop. debit. Decad. 3. qu. 1. n. 82.*

NECESSARIIS) Salariorum enim ſine neceſſitate conſtitutorum, non habenda ratio in præjudicium creditorum: unde ob æs alienum civitatis numerus conſulum & Senatorum minui poteſt, quo hac ratione creditoribus ex ſuperfluis ſalariis ſatisfieri poſſit.

§. VI.

Ceſſio autem bonorum fieri hoc caſu debet in manus judicis, vel ſequeſtris, & quidem non



Digitized by Google

verbis, ſed realiter, nam alias ſimulatus videtur, & fraudulentus concurſus. Salgado *dict. c. 1. num. 17. & ſeqq.* Idem conſtitutum in Receſſu Provinciali Marchico *de Anno 1653. §. 33.* ibi: ſondern die *oberati Debitores* aus den Gütern geſchafft / und die ſämptl. Nützung denen Creditoren zu gut *ſequeſtrir*et &c. Quamvis debitor tanquam conductor bonorum, pro certa penſione ſolvenda, in bonis interdum retineri ſoleat, aliquando etiam ut curator, reddendis rationibus obnoxius.

CESSIO) Hæc a proceſſu concurſus differt. Si quis bonis cedere velit, opus eſt moleſtatione creditorum, non in concurſu. Ceſſio bonorum fieri poteſt quoad certos creditores, concurſus quoad omnes. Hinc in ceſſione edictali citatione non præciſe opus eſt, vid. Salgad. *p. 1. c. 1. num. 46. & ſeqq.* moto tamen concurſu ſemper ceſſio bonorum ſequi debet, (de quo hic *Autor*) non vice verſa.

CURATOR) Si ſcil. ita viſum creditoribus, de quorum periculo hic agitur. Imo & interdum defuncti viduæ committitur adminiſtratio, ut rationes creditoribus reddat; ſed periculoſum hoc eſt, cum debitor pariter & vidua ipſius de proprio commodo magis, quam creditorum ſolliciti ſint, ut inde conſultius ſit, alium dare curatorem. Mev. *ad Jus Lubec. L. 3. tit. 1. art. 10. num. 32. & ſeqq.* Vid. infr. §. XI.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Quamvis autem ad concurſum formandum quidam velint, debitorem exprimere debere nomina creditorum, & quantitatem debitorum, non tamen abſolute hoc neceſſarium eſſe, tradit Salgado *d. c. 1. num. 23.* Poteſt tamen hoc exigi a judice ob citationem, de quo in *Cap. 2. §. 2.*

HOC EXIGI) Quo inde ſe informet Judex, annon aliter creditoribus ſatisfieri poſſit; quapropter etiam inventarium bonorum a debitore concurſum moturo exigi ſolet, præſertim ſi cum debitoris heredibus minorennibus negotium geratur, pro quorum ſalute ex officio laborabit judex.

OB CITATIONEM) An vero omnes creditores ſpecifice ſint citandi ad domum, de eo vid. Aut. *C. 2. §. 2.*

§. IIX.

Effectus concurſus proceſſus moti eſt, ut 1. inducat litis pendentiam, & ſpecialibus petitionibus obſiſtat. *arg. L. 6. §. 7. in fin. ff. quæ in fraud.* Mev. *p. 2. dec. 250. & p. 4. dec. 158. num. 4.* Salgad. *cap. 4. §. 3.* Ideoque omnes actiones antea ſpecialiter motæ ceſſant, & ſuſpenduntur, & ſupplicantes ad concurſum remittuntur. Salgad.

Digitized by Google

gad. *d. tr. c. 4. & 5. per totum.* Et licet in alio judicio condemnatus eſſet debitor, ſuſpendenda tamen executio, quia hæc tendere poſſet in aliorum creditorum præjudicium. Salgado *c. 4. §. 2. num. 60. & ſeqq.* Mev. *p. 6. dec. 105.* Sed ſi ante concurſum res adjudicata, vel a debitore in ſolutum data, vel ita tradita, ut in ſolutum capere poſſit creditor, quandocunque vult, hæc per concurſum motum, non mutantur. *arg. d. §. 7.* Mev. *p. 5. d. 345.*

2. Moto concurſu, hic in Marchia ſiſtitur curſus uſurarum, non tantum ob moram debitarum, ſed etiam promiſſarum. *Receſſ. Provinc. ad §. 33.*

3. Impedit jus offerendi; ſi creditor prior pignus poſſideat, non poteſt ea res ab alio creditore, moto concurſu, avocari, quia incerta, & ſub lite ſunt creditorum jura. Mev. *p. 4. d. 158. n. 3.*

4. Inducit cauſæ continentiam. Salgado. *p. 1. c. 4. num. 15.*

5. Per concurſum inducitur communio bonorum, ita ut uni præ aliis ſolutio fieri non poſ-

ſit,

Digitized by Google

ſit, niſi notorium ſit, unius creditoris privilegium & indigentia. Mev. *p. 2. dec. 345. & p. 3. dec. 141. P. 5. Dec. 125.* ubi tradit, nec uni immiſſionem decernendam eſſe, pendente concurſu.

LITIS PENDENTIAM) Hoc ita, ſi concurſus ab ipſo debitore motus: nam ſi creditores aliqui in certo loco convenerint ad excutiendum debitorem, hoc judicium pro particulari tantum habetur, & inde debitori adhuc licitum eſt alium judicem competentem eligere, coram quo concurſum univerſalem movere velit. Salgad. *p. 1. cap. 4. num. 3.* Petr. Franciſc. de Tonduti Sanlegerius *Tr. de Prævent. p. 1. cap. 10. num. 16. §. Sed tamen. Vid. not. ad §. 2. ſuperius.*

SUSPENDUNTUR) Fieri id ſolet per literas inhibitoriales vel requiſitoriales, quibus alter judex, ſub quo lites particulares ventilantur, requiritur, ut partes ad concurſum remittat, quod ſi hoc detrectet, Superior adeundus. Salgad. *c. 5. num. 3. & ſeqq.* De eo non levis dubitatio eſt, an ſi creditor ex cambio agat, & ſecundum Statuta cambialia capturam perſonæ debitoris petat, hic vero ad concurſum provocet, eo ipſo ſiſtatur executio contra perſonam debitoris? Et non puto: illa enim ſuſpenſio aliorum Proceſſuum hoc fine fit, ne præjudicetur aliis creditoribus pingviori jure utentibus: ſed apprehenſione perſonæ debitoris nihil ex bonis ejus diminuitur, & hinc remoto aliorum creditorum præjudicio, non ſiſtendus erit proceſſus cambialis.

PRÆJUDICIUM) Unde nec executio ſub cautione indulgenda, de reſtituenda re in caſum ſuccumbentiæ. Tonduti *c. 10. n. 16. §. Sed quid.* An autem moto concurſu, ſi tertius poſſideat prædium quoddam debitoris, & in eo jus retentionis ob impenſas factas



Digitized by Google

prætendat, hic ad concurſum remittendus, an vero hoc non obſtante, prædio inſiſtere poſſet? Poſterius affirmandum puto; quæ enim exceptio opponi poterit creditori hypothecaria actione experiunti, illa pariter opponi poterit creditoribus pluribus concurrentibus, & a tertio rem revocantibus. Atqui vero illo caſu poſſeſſori retentio non denegatur, per *L. 29. §. Domus. 2. ff. de Pignor. & hypoth.* Conf. Mevius. *P. 5. dec. 379.* Salgado *P. 1. cap. 11. num. 55. ſeqq.* Bernh. Schultze *Diſput. de Jur. Retent. th. 26.*

NON MUTANTUR) Concurſus enim ſubſequens jus antea quæſitum non tollit, Ant. Faber *in Cod. l. 6. tit. 11. Def. 2. n. 4.* Abeſſe tamen hic debet fraus, ne ſcil. imminente jam tum concurſu uni creditori ſolvatur reliquis pariter inſtantibus. Hoc caſu enim nemini præ alio gratificari poteſt debitor; vid. Autor *ad L. 24. ff. quæ in fraud. cred.* quod ſi tamen res in ſolutum detur, quæ hypotheca affecta eſt, ſalva manebit creditoribus actio hypothecaria. Carpz. *p. 1. C. 28. D. 170.* Aut. *ad L. 6. ff. quæ in fraud. cred. n. 29.*

IN MARCHIA) Non idem de Jure communi, ubi concurſus curſum uſurarum non ſiſtit, niſi forte bona a debitore creditoribus jam penitus ceſſa, ſic enim ad uſuras non amplius obligaretur, Mev. *P. 7. Dec. 245.* (Licet hoc ipſis creditoribus præjudicare non poſſit, quo minus ex bonis ceſſis uſuras prætendant,) ſalubriter tamen hoc in Marchia receptum, ne propter moras proceſſus, poſteriores creditores forte ſua penitus excidant, dum priorum creditorum uſuræ interim excreverunt, ut moto concurſu ſiſtantur uſuræ. In Saxonia hac proviſione opus non fuit; cum ibi uſuræ non ſimul cum ſorte adjudicentur, ſed poſtquam omnibus creditoribus de ſorte ſatisfactum, tunc demum uſuræ ſolvuntur, Carpzov. *p. 1. C. 28. Def. 161. Vid. inf. cap. 5. §. ult.* exceptis tamen certis caſibus, de quibus infra.

AB

AB ALIO CREDITORE) h. e. poſterior creditor non poteſt durante concurſu priori offerre pretium, quo ipſi res oppignorata, ut ita poſſeſſionem pignoris conſequatur, quod extra concurſum ipſi permiſſum. *L. 1. C. qui pot. in pignore.* Pendente enim concurſu nihil innovandum.

CONTINENTIAM) Eſt enim hoc judicium individuum, hinc aliorum creditorum cauſas tanquam connexas ad ſe trahit, quo coram eodem judice expediantur; connexorum enim idem eſt judicium. arg. *l. 1. ff. de quibus rebus ad eundem judicem. & ibi Dd.*

COMMUNIO BONORUM) Hæc communio bonorum non inducit æqualitatem juris creditorum circa bona debitoris, cum cuique prælationis privilegium ſalvum maneat; ſed dicitur communio, quod nemini, invito altero, ex bonis concurſui ſubjectis, ſolutio fieri poſſit, omnes commune jus habeant, donec ſuper prioritate lata fuerit ſententia. Mev. *p. 5. Dec. 125. n. 1.*

PRÆ ALIIS) Pendente enim concurſu uti debitori non eſt permiſſum, gratificari uni creditori præ alio; ita nec judici licitum eſt, uni creditorum, reliquis pariter inſtantibus quicquam adjudicare; juſtitia enim pluribus inſtantibus ex æquo adminiſtranda. Conf. Mev. *P. 6. Dec. 103.* Vid. Aut. *ad L. 6. ff. de rebus aut. jud. poſſ. n. 4.*

## §. IX.

Non impedit autem concurſus, quo minus is creditor, qui nomen ſuum in concurſu profeſſus eſt, alium ſeu tertium hypothecæ ſuæ poſſeſſorem convenire poſſit, cum difficile ſit, ſuum connſequi in concurſu, & variatio creditori



Digitized by Google

conceſſa, & debitor vulgo ob concurſum motum, non ſolvendo eſſe præſumatur. Mev. *p.5. dec.198. & ſeqq.* Sic etiam creditor poteſt, non obſtante concurſu, contra alium correum agere. Salgado *p.1. c.17. n.27. & n.34.* Nec per ceſſionem, aut concurſum debitor dominio aut poſſeſſione bonorum ſuorum, aut actionum, licet non adminiſtret, privatur, *per L.3. ff. de ceſſ. bon.* Salgado *p. 1. cap.14. n.31.* Nec prohibetur debitor hereditatem repudiare, quia creditores tantum jus habent ad bona tempore ceſſionis habita, niſi repudiatio ſit ficta, & ſimulata. Salgado *p.2. c.14. n.122.*

SEU TERTIUM) Concurſus trahit ad ſe omnes proceſſus, particulares ſcil. contra ipſum debitorem motos, non contra tertium.

ESSE PRÆSUMATUR) Hoc eo pertinet, quia ſi fidejuſſor forte opponeret exceptionem excuſſionis, creditor replicare poſſet; huic exceptioni locum non eſſe, cum debitor non ſit ſolvendo, ob motum concurſum. Executionem tamen impedire poteſt fidejuſſor, ſi cautionem offerat creditori, de ſolvendo debito, ſi ex concurſu nihil fuerit conſecutus. Vice verſa poterit creditor huic fidejuſſori ſolventi cedere actionem, ut ex concurſu ſolutum repetat.

PRIVATUR) Vult quidem Mev. *P.3. Dec.329.* creditores poſt excitatum concurſum, & factam bonorum ceſſionem eodem dominii jure uti, quo uti potuit debi-

Digitized by Google

debitor cedens; & quod per ceſſionem bonorum omnia jura active & paſſive tranſeant ad creditores. Verum reſiſtit *L. 4. C. qui bon. ced. poſſ.* ubi non ceſſione, ſed bonorum ceſſorum venditione, vel in ſolutum datione dominium creditoribus acquiritur, nec poſſeſſionem antea proprie habent, ſed cuſtodiam tantum, donec diſtrahatur, Salgado *cap. 4. num. 63.* & hinc exercent quidem jura dominii, non tamen jure ſuo, ſed jure debitoris.

§. X.

Ut autem proceſſus rite procedat, neceſſe eſt, ut ſit, qui creditoribus ſua credita liquidantibus reſpondeat, & nomina examinet, an vera nomina ſint, qui, ſi debitor ipſe hoc nolit, aut non poſſit præſtare, quia mortuus vel abſens, ſolet conſtitui contradictor; quod niſi fiat, ſolet reſponderi, hunc ante omnia conſtituendum eſſe, ut evitetur nullitas. *Vid.* Churfürſtl. Brandenb. Cammer-Gerichts Verfaſſung / §. 30. Hujus vero munus eſt, ſe ex documentis in bonis repertis informare, nomina examinare, probationem exigere, bonam fidem agnoſcere, vel nomina impugnare, cui conſtitui ſolet annuum ſalarium, magno creditorum malo: ideoque præſtaret pro numero creditorum, ipſi a judice ſemel pro ſemper conſtitui ſalarium, idque per terminos dividere, ipſique

ſpatium dandum, ad perluſtranda documenta. Alius a contradictore eſt curator bonorum, de quo titulus eſt *Lib. 42. ff.* qui datur bonis abſentis curandis: quamvis contradictorem abuſive curatorem bonorum vocare ſoleant, ut Carpz. *p. 1. c. 28. Def. 8. in fin.* ubi videtur confundere curatorem bonorum, curatorem litis ſeu contradictorem, & procuratorem creditorum communem, quem creditores ſolent privata autoritate conſtituere, ut creditorum cauſam agat contra debitorem.

AGNOSCERE) Liquida jura creditorum non diſputare, ad inſtar tutoris, qui pariter in cauſis pupillaribus bonam fidem agnoſcere poteſt. *L. 9. §. 6. ff. de admin. tut.*

MAGNO CREDITORUM MALO) Ratio, quia inde protelatio proceſſus metuenda; quo pluribus enim annis continuatur concurſus, eo magis lucri ex ſalario contradictori accedit.

A CONTRADICTORE) Poterit quidem contradictoris & curatoris officium in una perſona concurrere, cum & curatores agere & contra agentes creditores excipere poſſint, *L. 2. §. 1. & 2. de curat. bon. dand.* quia vero bona concurſui ſubjecta ſæpius tam ampla ſunt, ut eorum adminiſtratio integrum hominem, & quidem magis oeconomum, quam JCtum requirat, ſic neceſſum eſt, ut bonis detur curator ſpecialis, & proceſſui detur contradictor jurium peritus, vid. Aut. *in Comm. ff. ad L. 2. num. 7.* quam-

Digitized by Google

quamvis alibi hoc rarius fiat, & a curatore bonis dato actor aliquis Jurium peritus ſubſtitui ſoleat.

CREDITORUM) Hic aliquando communis creditorum actor ſeu Advocatus dicitur, qui illa obſervet, non quæ ſingulorum creditorum intereſſe concernunt, ſed quæ ad omnes creditores conjunctim ſpectant, & ita ad integrum Concurſus Proceſſum promovendum pertinent. Mev. *p. 4. Dec. 86. num. 9.*

REPUDIARE) Non enim alienat, qui non acquirit, & hinc non eſt locus actioni revocatoriæ. *L. 6. ff. quæ in fraud. cred.* Conf. quæ dixi *Tract. de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſert. 4. c. 3. §. 41.*

§. XI.

Neceſſarium tamen eſt, ne pendente concurſu bona debitoris disſipentur, præter contradictorem, etiam bonorum curatorem conſtituere, cujus electio in poteſtate creditorum eſt, aut ſi convenire non posſint, eum conſtituit Judex. Mev. *P. 4. Dec. 257.* Carpz. *P. 1. Conſt. 28. def. 8.* Interdum & viduæ debitoris adminiſtratio committitur, quod tamen neceſſarium non eſt, cum jure retentionis non excludatur per curatorem, Mev. *ad Jus Lub. lib. 3. tit. 1. art. 10. n. 41.* nec retentio adminiſtrationem tribuat. Mev. *P. 3. Dec. 255.* Tenetur vero hic curator ad Inventarium, Carpz. *Lib. 5. Reſp. 74. n. 11.* niſi illud jam ab ipſo debitore vel vidua ejus confectum. Porro ipſi incum-

incumbit adminiſtratio in communem creditorum utilitatem, VVeſemb. *Conſ.108. n.110.* quibus quoque ad rationes obligatur, & hinc quoque regulariter ad cautionem tenetur, Carpz. *L.6. R.63. num.9.* & demum omnia alia agere debet, quæ alii minorum curatores. Vid. Dd. *in tit. ff. de Curat. bon.*

NECESSARIUM) Non neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica, in arbitrio enim creditorum eſt, an ipſi conjunctim bona debitoris adminiſtrare, an vero vendere velint. arg. *L.1. §.1. & L.2. §.4. ff. de curat. bon.* Mev. *p.2. D.169. n.1.* Quod ſi vero commode vendi nequeant, & communis quoque adminiſtratio incommoda non levia habeat, ſic omnium creditorum intereſt curatorem dare. Mev. *P.3. D.120. n.1.*

CONVENIRE) Non quod omnes in curatorem conſentire teneantur, nam major pars creditorum etiam hoc caſu prævalet, per *L.2. pr. ff. de curat. bon.* quod ſi vero de majori parte non ſatis conſtet, ſic demum judex eum conſtituit. Vid. Aut. *in Comm. ff. ad d. L.2.*

EXCLUDATUR) Manet ergo vidua in poſſeſſione bonorum, curator vero eadem adminiſtrat; ubi ex fructibus tantum viduæ aſſignari ſolet, quo inde habeat alimenta, non lautiora, ſed neceſſaria. Carpz. *P.2. Conſt.25. Def.12.*

INVENTARIUM) In hoc inventario conſignanda ſunt omnia debitoris bona, mobilia & immobilia, quoad quantitatem & qualitatem, Mynſing. *Cent.6. Obſ.39. n.3. & 4.* quamvis conſultius ſit, non ſoli curatori hoc committere, ſed petere, ut a judice certus Commiſſarius & Notarius deputetur, qui Inventarium con-

conſcribat. Mev. *ad Jus Lub. L. 3. tit. 1. art. 10. n. 40.* Quamvis & ipſe curator petere poſſit, ut in Inventarii confectione creditores ipſi adjungantur. Inventario omiſſo, tenetur curator ad Specificationem juratam. Carpz. *in Aſylo debit. th. 68. n. 63.*

CONFECTUM) Hoc caſu tamen opus eſt, ut curator reviſionem inſtituat, an omnes res in Inventario conſignatæ adſint, vel annon alias inventarium defectu laboret.

TENETUR) Modo alias non ſit poſſeſſionatus. *L. 15. §. 1. ff. qui ſatisd. cogantur.*

MINORUM CURATORES) Hinc nec alienandi licentiam habet, niſi conſentiant creditores: nec cuiquam creditorum quicquam ſolvere poteſt, niſi prævio Magiſtratus decreto. Philipp. *de Subbaſtat. Cap. 4. Comm. 18. num. 29.* An vero curatori parata pecunia, ex venditione rerum redacta, ſit relinquenda, vid. Mev. *P. 2. Dec. 170. n. 2.*

§. XII.

Sumtus ad concurſum neceſſarii ſuppeditandi ſunt ex bonis liquidati, licet omnia ejus bona a creditoribus ſint per immiſſionem poſſeſſa, cum horum cauſa omnibus creditis ſit potior; Mev. *P. 5. Dec. 315.* & quidem pro rata bonorum, quatenus creditores poſſident. Mev. *P. 6. Dec. 83.* Et hi ſumtus etiam a vidua, quæ retentionis titulo in bonis eſt, ſuppeditandi, quia & doti præferuntur. Mev. *P. 2. Dec. 345.*

LIQUIDATI) Hinc regulariter hos ſumptus ſuppeditabit curator, Mev. *Part. 5. Dec. 314.* ſemper tamen



Digitized by Google

exſpectabit mandatum Judicis aut omnium creditorum conſenſum.

POSSESSA) Non tantum ergo vidua, in bonis liquidati mariti conſtituta tenetur exinde ſumptus concurſus præſtare, vid. Brunn. *ad L. 6. n. 33. ff. quæ in fraud. cred.* ſed multo magis ipſe debitor, ſi bona a ſe ceſſa ex perſona uxoris, jure retentionis gaudentis, detineat. Mev. *Part. 8. Dec. 348.*

OMNIBUS CREDITIS) Quod ſi forte ex reditibus prædii tantum non ſuperſit, quantum ad ſumptus ſufficit, & unus creditorum ad promovendum concurſum aliquid de ſuo erogaverit, hi ſumptus ipſi refundendi, etiam pendente concurſu, ante omnes alios creditores, Mev. *P. 9. Dec. 28.* cum utilitas omnium creditorum ita promoveatur. Mev. *P. 3. D. 353.* Aliud, ſi creditor proprii commodi gratia quid impenderit, Mev. *d. l.* ſicut &, ſi unus creditor in concurſu temerariam litem moverit, & alter creditorum eapropter impenſas facere neceſſum habeat, hæ non repetendæ ex corpore bonorum, ſed ab illo, qui temerariam litem movit. Mev. *P. 7. D. 23.*

## §. XIII.

Licet autem diſtractio bonorum communiter ſoleat finito proceſſu liquidationis fieri, interdum tamen ob caſuum pericula, & onerum publicorum molem, nec non ob metum malæ adminiſtrationis præſtat, ſtatim moto concurſu, ſi adſit animoſus emtor, diſtrahere, & pretium deponere; Mev. *P. 2. D. 169.* ſicut etiam judex poteſt ad inſtantiam creditorum locare bona immobilia liqui-

qui-

Digitized by Google

quidati, ubi cæteris paribus potiores ſunt illi, qui habent jus retentionis. Mev. *P. 4. Dec. 308.*

ANIMOSUS EMTOR) Opus tamen & hoc caſu eſt taxatione, ſubhaſtatione & licitatione, ne alii creditores inde gravamen allegare poſſint, de qua materia vid. *infra cap. 7. §. 2. & ſeqq.*

RETENTIONIS) Cautione tamen hoc caſu opus de indemnitate creditorum. *Vid. Not. ſup. ad §. 6. in fin.*

# CAPUT II.

## DE CITATIONE CREDITORUM.

### SUMMARIA.

1. Citatio *a quo judice facienda?*
2. *An ſufficiat* Edictalis?
3. *An ſufficiat una* peremtoria?
4. Forma *Citationis Edictalis diverſa.*
5. *Citatio hæc eſt tantum* monitoria.
6. *Creditores immiſſi, an contra concurſum proteſtari poſſint?*
7. *An concurſus ſtringat creditores conditionales?*
8. *An illis, qui jura dominii habent, obſtet citatio præcluſiva?*
9. *An hæc citatio inducat litis pendentiam, & an obſtet lis alibi mota?*
10. *Citatio ubi affigenda?*



Digitized by Google

§. I.

CItatio fieri debet a judice habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, inſtante debitore, vel contradictore, vel curatore bonorum. Et licet nonnulli velint, judicem omnium creditorum citare debere, ut Gail. *l.1.obſ.57.n.7.* & Carpzov. *l.3.Reſp.* 23. *n.*19. id tamen praxi manifeſte contrariatur. Nam ſic multi concurſus coram Camera Imperiali movendi eſſent. Et citatio hæc non eſt arctatoria, ſed monitoria, ſi ſua intereſſe putent, ſicut etiam *ex L. Diffamari. & L. Si contendat.* poſſunt citari, in quos nulla judici citanti jurisdictio eſt, imo exempti Sacri Rom. Imperii, ut judicatum ſcio.

ORDINARIAM) Scil. in ipſum debitorem, & præcipue judex loci, ubi debitor domicilium habet. *Vid. Not. ad cap. I.* §. 2.

DELEGATAM) Hoc non in genere obtinet, ſed tunc, ſi vel quis delegatus ſit ad univerſitatem cauſarum (tales ſunt, quibus omnes cauſæ per certam provinciam commiſſæ) vel ſi ſpecialiter Proceſſus concurrentium creditorum alicujus directioni commiſſus. Non raro enim Commiſſariis directio Proceſſus concurrentium creditorum committitur.

MONITORIA) Actus enim judicialis, qui tendit ad compellendum, opus habet judice competente, propter *L. fin. ff. de jurisd.* ſed actus, qui tendit tantum ad monendum, poterit fieri a quocunque judice, ad quem cauſa principalis pertinet.

EXEMPTI) Tales illi ſunt, qui nullum alium Judicem agnoſcunt, quam immediate Imperatorem. Obſervanda

Digitized by Google

vanda vero hic regula: Quoties citatio tantum fit ad notificandum, toties etiam extra territorium fieri poteſt, & conſtituit in negligentia vel mora omnes, qui eam ſpernunt, quod in Camera Imperiali contra ſubditos Regis Galliæ obſervatum, teſtatur Gail. *L. 1. Obſ. 56. num. 7.*

§. II.

Sed quæritur, an Edictalis citatio generalis ſufficiat, an vero omnes creditores, quorum nomina ſpecifice expreſſit debitor, ſpecialiter citandi? Poſterius vult Salgado *p. 1. c. 1. n. 34.* Sed pro generali pugnant Dd. quos refert Idem *n. 31.* Et hoc in Germania paſſim receptum, & incommoda ſpecialis citationis propoſui *in tractat. de proceſſu Civil. c. 3. n. 4.* Sed ſi creditores quidam ſint forenſes, vel in alia provincia habitent, vel ſint viduæ aut pupilli vel minores, vel corpora pia, putaverim, eos poſſe ſpecialiter citari, ne poſtea finito concurſu veniant, & reſtitutionem petant ex capite ignorantiæ probabilis, vel favore ætatis, aut religionis, & ita totum ordinem turbent. Eapropter utile erit, a debitore exigere nomina creditorum, quo præſertim alibi degentes ſpecialiter citari poſſint.

EDICTALIS CITATIO) Cautelam aliqui ſuppeditant, ut evitetur citatio Edictalis, ſi ſcil. præſentes creditores cautionem offerant, ſe aliis creditoribus, forte alibi degentibus, ſatisfacturos, ſi poſtea credita probaverint. Mev. *ad Jus Lub. l. 3. tit. 1. art. 10.* Add. *idem in diſc. levam. inop. deb. cap. 2. n. 122. in fin.* Verum conſultius



Digitized by Google

ſultius eſt nihilominus, edictaliter citare reliquos, ne poſtea novis litibus onerentur judicia.

SPECIALIS CITATIONIS) Bene monet Mev. *in diſcuſſ. levam. inop. debit. c. 3. n. 121.* etiamſi creditores certi ſint, & ita perſonaliter citandi, hoc tamen non ſufficere, quia variis modis vel ex oblivione eorum, quibus debetur, vel mutatione perſonæ creditorum, vel ex translatione nominum, vel diſtractione actionis inter plures perſonas, vel ex jure aliorum in nomina, ob quod creditores ipſi agere amplius non poſſunt, ad aliorum vero, quorum maxime refert, notitiam id non pervenit, adeoque ſemper opus eſſe citatione edictali.

SPECIALITER CITARI) Optima cautela eſt, ut certi citentur ſpecialiter, & quoad reliquos fiat citatio edictalis. Unde & in Camera Spirenſi, ſi quis bonis cedere velit, petit, ut decernatur citatio reſpective ad domum & edictalis. Blum. *in formul. Supplic. Camer. p. 494.* & in Saxonia ita quoque conſtitutum eſt, ut creditores, quorum domicilium Judici notum, conſueto more citentur; ſtatim tamen ab initio quoque Edictalis ejusmodi citatio ad creditores reliquos, ſicubi plures, concurſus forſan ignari exiſtant, emittatur, per *Reſol. Gravam. Provinc. tit.* Von Juſtitien Sachen. §. *10. verſ.* als ſetzen &c. Tunc vero & certi creditores per Edictum citari ſolent, ſi numerus ſit ingens, & ipſi per varia loca diſperſi; ut ita inſinuatio ſit admodum difficilis. Mev. *P. 8. Dec. 251. n. 3. & 5.*

## §. III.

Citationi autem addi ſolet clauſula peremptoria, ut ſi non comparuerint, poſtea eos repulſum iri. Ideoque hoc caſu unam citationem poſſe ſufficere, ſi Lex Provinciæ, vel conſvetudo non repugnet,

gnet,

Digitized by Google

gnet, vult Mev. *P.* 1. *Dec.* 258. Sed ſententia hæc concedi nequit. Nam I. Regula Doctorum eſt: Quoties quis citandus eſt ſub pœna privationis ſui juris, & perpetui ſilentii, tunc unam non ſufficere citationem. Scacc. *de jud. l.* 1. *c.* 91. Mindan. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. II. Una citatio non facile in omnium notitiam pervenire poteſt.

REPULSUM IRI) Inde hoc termino præcluſivo elapſo, & ſententia lata, creditores alii, niſi alias beneficio reſtitutionis gaudeant, non audiendi, etiamſi veritatem & prioritatem crediti docere poſſint, Mev. *P.* 3. *Dec.* 48. licet hoc in Marchia non adeo ſtricte obſervetur. *Vid. inf. c.* 3. §. 11.

CONSVETUDO) Hæc conſvetudo tunc admitti poſſet, ſi illa una citatio trium citationum ſpatium contineat, ubi inſeri ſolet, hanc unam pro tribus eſſe debere; confer *L. Nunquam.* 72. *ff. de Judic.* qualis eſt illa Edictalis citatio, quæ in Saxonia ab initio ſtatim emittitur, *de qua ſup. ad* §. 2. quippe quæ continere debet ſpatium trium terminorum Saxonicorum, computandum a tempore, quo affixa, atque ita ſub pœna præcluſi eſt concipienda, per *Reſolut. Gravam. Provinc. tit.* Von Juſtitien Sachen. §. 10. *verſ.* als ſetzen &c.

NON SUFFICERE) Hinc alii Doctores binam ad minimum citationem requirunt ad excluſionem juris alterius, Ripa *ad L. Rem, quæ. ff. de Acq. poſſ. num.* 43. quod in concurſu creditorum neceſſarium eſſe, probat Mev. *in Diſc. Levam. cap.* 3. *n.* 125. unde & in Saxonia prima vice ſimpliciter, ſi vero contumaciter emanſerint, ſub pœna præcluſionis citandi creditores, de quorum domicilio Judici conſtat, & ſi perſeverent in contumacia, realiter excluduntur, per *Reſolut. Grav. cit. tit.* §. 10.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Sed citationis edictalis duplex eſt forma. Alibi enim jubentur creditores intra 6. ſeptimanas in ſcriptis ſua nomina profiteri, & documentorum copias exhibere. Qui modus licet apud nos receptus, habet tamen hoc incommodi, quod ita originalia documenta, an ſint ſine vitio, annon in tempore vel ſumma ſit raſura, an ſit manus defuncti debitoris, recognoſci non poſſint, ideoque ſolent recognitiones poſt ſententiam usque ad terminum diſtributionis differri, ut tunc demum de veritate nominis diſputari incipiat. Sed hæc inverſio ordinarii judicii eſt: ideoque praxis melior eſt, ſi certa dies exprimatur, qua creditores omnes & ſinguli in judicio convenire, & originalia ſua documenta exhibere debeant, quo ea contradictor recognoſcere, aut diffiteri, aut exceptionem tam contra formalia, quam materialia inſtrumenti, oretenus proponere queat. Huic citationi & illud utiliter adjungi poſſet, ut, ſi creditor aliquis documenta non habeat, & teſtibus creditum probare velit, in eventum negationis Articulos cum nominibus teſtium offerat, quo mox contradictori communicari poſſint, ad formanda interrogatoria.

DIFFERRI) Hinc formula pronunciandi: würden die angegebene *Creditores* die zeithero *ad acta* gebrachte *copias documentorum* künfftig bey dem *actu diſtributionis* mit denen wahren *Originalien* beſtärcken/ oder ſonſt die *liquidirte* For-

Forderung alsdann glaubhafft beſcheinigen / ſo ſind ſie in folgender Ordnung zubefriedigen. Quo ipſo tamen in actu diſtributionis novæ oriuntur lites, & diſputationes ſuper veritate crediti, ut hinc omnino utilis ſit, una eademque ſententia & veritatem & prioritatem nominis decidi.

DIFFITERI) Quo facto originalia reſtitui poſſunt creditori, vidimatis copiis apud acta relictis.

§. V.

Citati creditores comparere tenentur omnes, neceſſitate non abſoluta, ſed cauſativa, ſi credita ſua ſalva habere velint, quia hæc citatio non eſt arctatoria, ſed monitoria, Scacc. *de judic. c.* 34. *n.* 23. Hill. in Donell. *l.* 23. *c.* 2 *lit. F. pag.* 1005. licet creditor ſit clericus, Salgado *P.* 1. *c.* 6. ſive ſit fiſcus aut ſcholaris, Salgad. *d. p.* 1. *c.* 7. Quamvis in primo termino nondum ſententia excluſiva, ſed in tertio termino feratur, cum trina citatio requiratur, ut dictum. Si etiam in ſuperiori judicio debitor conventus ſit a creditore, hic tamen in concurſus judicio ſe ſiſtere tenetur, de quo Mevius *P.* 5. *Dec.* 156.

CLERICUS) Quod ſi tamen clericus creditor poſſideat hypothecam, & ita non opus habeat in concurſu nomen ſuum liquidare, non tenetur coram judice Laico comparere; quamvis enim concurſus omnia bona ad ſe trahat, contra poſſeſſorem tamen opus eſt judicio, & hinc quoque clerici judex competens adeundus, qui cognoſcat, an ille hypothecam dimittere debeat, vel non. Conf. Salgado *p.* 1. *c.* 6. *n.* 8.

SISTERE TENETUR) Non quidem hoc fine, ut quæſtio, quæ in ſuperiori judicio controvertitur, in judicio

dicio inferiori, ubi concurſus motus eſt, decidatur, cum concurſus appellationis inſtantiam non finiat; ſed ut in judicio concurſus, hujus rei conditionaliter ratio habeatur, h. e. ut huic credito locus ſub illa conditione aſſignetur, ſi pro eo in judicio ſuperiori fuerit pronunciatum. Vid. Mev. *d. l.*

§. VI.

Solent autem illi creditores, qui in certa bona debitoris immiſſi, proteſtari contra concurſum & dicere, ſe ſuo jure immisſionis contentos fore, ex ea ratione, quia citatio hæc fit ad agendum, ſed actione opus non habet, qui eſt in poſſeſſione. Scacc. *de judic. d. c.* 34. *n.* 17. Sed hæc proteſtatio non officit cæteris creditoribus, ſi quis meliora aut anteriora jura in re illa, in quam immiſſus erat proteſtans, habeat; ſed obeſt ipſi creditori proteſtanti, ſi ex bonis illis, in quæ miſſus eſt, integram ſolutionem capere non poſſit; ſic enim ad bona alia nullum habet regresſum, licet habeat hypothecam generalem. Mev. *Part.* 2. *Dec.* 287.

ANTERIORA) Ratio (1) quia immiſſio ſemper fit ſalvo aliorum creditorum jure, vel hæc clauſula ad minimum ſubintelligenda: (2) quia res ad immiſſum tranſit cum onere reali hypothecæ, ut hinc hypothecarii priores actionem ſuam ſalvam retineant: unde mirum eſt, quare Mev. *p.* 7. *Dec.* 250. *n.* 4. ſtatuat, creditorem, qui ante concurſum in prædium immiſſus, non teneri ſe concurſui ſubmittere; & licet hoc facere poſſet, conſultius tamen ipſi eſſe, ut inanibus ſumptibus abſtineat, & rei incumbat. Nam eo ipſo Mev. contradicit ſuæ *Dec.* 287. *p.* 3. Omnino enim ita periculum ſuſtinet poſſeſſor,

ſeſſor, annon creditores priores prædium actione hypothecaria ſint revocaturi. Interim tamen nec hoc admittendum puto, quod vult Salgad. *p. 1. c. 11. n. 1. & 2.* illum, qui rem debitoris poſſidet jure creditoris, non poſſe pendente concurſu rem retinere, ſed eam adminiſtrationi curatoris cedendam eſſe. Immiſſio enim ante concurſum facta, non tollitur moto concurſu, licet eo finito creditores anteriores contra immiſſum agere poſſint.

IN RE ILLA) Hoc procedere puto, etiamſi non tantum immiſſus creditor, ſed & ipſi quoque res adjudicata vel in ſolutum data: hæc enim in ſolutum datio, cum venditionis vicem obtineat, non tollit onera realia; licet creditores generalem hypothecam anteriorem habentes, hoc caſu prius debitorem excutere teneantur, Mev. *d. Dec. 286.* Aliud ſi res ſub haſta uni creditorum ante concurſum aſſignata, ſic enim ſibi præjudicarunt creditores hypothecarii, quod publice citati non contradixerint venditioni.

PROTESTANTI) Proteſtatio enim hæc contra concurſum habet vim renunciationis; ad jura vero renunciata non datur regreſſus. *L. 9. §. 1. ff. de Tribut. act.*

§. VII.

Sed quid de creditoribus, quibus in diem, vel ſub conditione quid debetur? videntur quidem illi non poſſe credita ſua profiteri, quia incerta illa credita, ſi ad diem incertam, an ſint futura, debeantur. Sed eos tamen citandos eſſe, & comparere teneri, communius receptum eſt. *L. 4. ff. de Separat.* Salgad. *P. 1. c. 8. n. 26. & ſeqq.* Nam exiſtente conditione caſuali, præfertur talis credi-

 tor

tor illi, qui pendente conditione puram hypothecam meruit. *L. 9. & 11. ff. qui pot. in pign.* Vid. Comment. *ad d. L.* Theſſaur. *l. 3. qu. 51.*

CONDITIONE CASUALI) Sed quid ſi creditor fidejuſſores habeat, an ille concurſum negligere & contra fidejuſſorem agere poteſt? Ita vult Mev. *Part. 9. Dec. 187. n. 2.* modo fidejuſſores moneat, ut illi in concurſu intereſſe ſuum proſequantur. Contrarium habet Aut. *Cent. 5. Dec. 86.* qui hanc rationem addit, quod creditor, qui in concurſu intereſſe ſuum deducere neglexit, poſtea fidejuſſores convenire nequeat, cum ipſis actionem cedere non poſſit. Quæ ſententiæ ita conciliandæ, ut Autor intelligendus ſit de illo caſu, ſi finito concurſu fidejuſſores conveniat: Mevius vero, ſi pendente concurſu, ubi adhuc cedi actio, & a fidejuſſore in concurſu deduci poterit.

§. VIII.

Sed quid de dominis rerum, quas debitor detinuit, an & illis præjudicet citatio præcluſiva? Quod negandum videtur, quia debitor non ceſſit, nec cedere poteſt rebus alienis, ſed ſuis tantum, quæ ut ſua poſſedit. *L. Si pater. 3. C. de Ceſſion. bon.* Sed & hunc debere ſuum jus deducere, tradit Salg. *Part. 1. c. 11. n. 100.* quia generaliter venit nomine creditoris, & incertæ redderentur adjudicationes poſt ſententiam prioritatis latam. Conf. Faber *lib. 7. Cod. tit. 32. D. 17.*

DEDUCERE) Quia non præſumitur rem in bonis debitoris repertam eſſe alterius, quapropter ille, qui jus domi-

dominii prætendit, comparere & dominium probare tenetur. Hoc vero probato, poſtea non puto ipſum teneri exſpectare finem concurſus, ſed mox petere poteſt rerum ſuarum reſtitutionem. Fruſtra enim eventus exſpectatur, donec alii creditores jura deduxerint, ubi certum eſt, aliis circa hæc bona nihil juris competere.

§. IX.

Per hanc edictalem citationem non inducitur litis pendentia, nec per eam inhabiles habilitantur. Contardus *in L. Diffamari. c. 1. n. 36.* Menoch. *d. adip. poſſ. rem. 4. n. 615.* Hill. *d. loc.* Sed ſicut generaliter citati omnes, quorum intereſt, tenentur comparere, ſi jura ſua ſalva eſſe velint, ita nemo repellendus, qui profiteri vult nomen ſuum, licet contra tertium hypothecaria actione, aut contra fidejuſſorem egerit hactenus. Nec ad proceſſum concurſus invitus remittendus, quia ſunt diverſa judicia. Mev. *p. 5. dec. 198.* Concurrentibus autem duobus, is præferendus, ad quem res ea maxime pertinet, v. gr. ſi cedens & ceſſionarius concurrat, hic admittendus præ illo. Salg. *p. 1. c. 27. n. 68. & ſeqq.*

EGERIT HACTENUS) Modo non ab his ſolutionem impetraverit; cum enim mota actione contra tertium nondum liberatus ſit debitor, ſalva creditori manet actio in concurſu intentanda.

JUDICIA) Hoc eſt, judicia hæc contra diverſas perſonas mota. Quamvis ergo concurſus reliquas lites ad ſe trahat, hoc tamen in illis tantum procedit, quæ contra



Digitized by Google

tra eundem debitorem, vel bona ad concurſum pertinentia motæ, non quæ contra tertium. Et quamvis ille tertius alias beneficium excuſſionis habeat; hoc tamen moto concurſu parum operatur, cum jam certum ſit, debitorem, vel ſolvendo non eſſe, vel difficilem eſſe perſecutionem. Mev. *d. l.* Tali ergo caſu ipſe tertius conventus exconcurſu repetitionem petere tenetur.

ADMITTENDUS) Cedentis enim jus in hunc translatum, & quo momento debitor a ceſſionario interpellatur, eo momenro cedenti amplius ſolvere nequit, *per L. 3. C. de novat.* quapropter & in concurſu præferendus ceſſionarius. Pari modo ſæpius evenit, ut creditor ipſe, e. gr. Sempronius, qui in concurſu liquidat nomen, aliis iterum obligatus ſit, ſub hypotheca bonorum generali, ubi Sempronii creditores in judicium concurſus venire ſolent, & petere, ut ſibi ex Sempronii portione, quam forte ex hoc concurſu obtenturus, ſatisfiat, quo caſu quidem Sempronius loco competente in ſententia exprimitur, ſed ſimul quoque Sempronii creditoribus, ſi jura liquida habeant, proſpicitur, daß *Sempronius* oder deſſen *Creditores*, im Fall Er ſie ſonſten nicht befriedigen könte / an dieſer Stelle zu bezahlen. Quod ſi vero horum jura illiquida, ad ſeparatum judicium remitti ſolent, daß des *Sempronii Creditores* von dieſem *Concurſu* ab und *ad ſeparatum judicium* zu verweiſen. qui ultimus modus præferendus, ne turbetur ipſe concurſus per interventionem extraneorum creditorum.

§. X.

Solet vero citatio in loco judicii, & in duabus celebrioribus urbibus affigi, ut facilius in notitiam creditorum pervenire poſſit; maxime vero in loco domicilii debitoris, & in loco vicino. Gail.

*l. c.*

Digitized by Google

*l.1.Obſ.57.n.10.* Et primitus ipſum originale affigendum, poſtea ſubſtituendum exemplum, Scacc. *de jud. l.1.c.45. n.17.* quamdiu autem affixum manere debeat, in arbitrio judicis eſt. Hilliger ad Donell. *d.l.23.c.2.lit.F.*

AFFIGI) In Sax. quædam diſtinctio obſervatur, ut ſi concurſus bona feudalia concernat, in tribus civitatibus des Engern und weiten Ausſchußes citatio Edictalis ſit affigenda. Si vero tantum allodialia & Ruſtica, Erb- und Bauer-Güther/ ſufficiat, ſi tribus locis diverſæ jurisdictionis affigatur. *Reſol. Grav. Prov. tit.* Von *Juſtitien* Sachen. §. *10. verſ.* als ſetzen.

EXEMPLUM) Apud nos originalia manent affixa per integrum tempus citationis, quod ſi poſtea refigantur ſubſcribitur a Secretario judicii, angeſchlagen den 1. Julii, wieder abgenommen den 6. Aug. quod &, ſi ad alia loca mittatur citatio, peti ſolet a Magiſtratu, ut tempus affixionis & refixionis exprimatur, ne exceptio, citationis non legitime factæ, opponi poſſit.

ARBITRIO JUDICIS) Judex æſtimabit hoc ex multitudine & diſtantia creditorum; hinc quamvis ordinarie terminus 6. ſeptimanarum eſſe ſoleat, poteſt tamen ille abbreviari, ſi ex circumſtantiis appareat, debitorem extraneos creditores non habere. Quamvis ubi de excludendo aliorum jure agitur, ſemper terminus legalis attendendus. Poterit etiam ille terminus extendi, ſi in aliis territoriis creditores conſtituti.

CAP.

Digitized by Google

# CAPUT III.
## DE
# OFFICIO CONTRADICTORIS
## IN CONCURSU CREDITORUM.
### SUMMARIA.

1. *Contradictor tenetur exhibere inventarium.*
2. *Et exigere mandata creditorum, per procuratores comparentium.*
3. *Et attendere, an inſtrumenta producta laborent vitio.*
4. *Et excipere contra Obligationes.*
5. *Quomodo, ſi debitum unius per teſtes probandum, aliis creditoribus proſpiciatur?*
6. *Quomodo uſuræ petitæ liquidandæ?*
7. *Quid ſi contradictoris exceptio non ſit in continenti probabilis.*
8. *Quid ſi unam alteramve exceptionem omittat?*
9. *Quænam exceptio a judice ſupplenda?*
10. *De exceptione excuſſionis, & negata intentione.*
11. *Primo termino elapſo, contradictor debet petere ſecundum, & tertium præcluſivum.*
12. *Reconventioni hic locus, & Exceptio aliqua ad executionem reſervari poteſt.*
13. *De delatione juramenti.*
14. *Dilatio non facile concedenda.*
15. *Super creditis nondum liquidis conditionaliter pronunciandum.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

SI ipſe debitor, vel heredes, vel curator bonorum ſpecificationem Judici non exhibuerit, debet curator litis, vel contradictor exhibere ſpecificationem bonorum, & in ſpecie nominum activorum & paſſivorum, quantum quidem ex perluſtratione documentorum colligere potuit, ut (1) creditores poſſint ſcire vires hereditatis: (2) ut contradictor bonam fidem poſſit agnoſcere, etiam ſine exhibitione documentorum, ſi illud debitum fundatum cognoverit; nam ſicut ipſe debitor ſine calumniæ pœna, non debet contra conſcientiam negare debitum; multo minus contradictor, ut perſona legalis, verum debitum negare, aut ejus probationem in re liquida petere debet, & qui contra facit, merito a judice mulctandus.

EXHIBERE) Hic quidem exhibere tenetur Inventarium in judicio, quo inde ſe informent creditores; confectio tamen ad contradictorem plane non pertinet, cum bona debitoris ab ipſo non detineantur. Ergo vel ipſe debitor, vel curator bonorum conficiet.

AGNOSCERE) Hoc eſt, ſi debitum liquidum eſſe videat, ut omittat diſceptationem, & illius veritatem agnoſcat quo ſenſu phraſis illa *agnoſcere bonam fidem* de tutoribus dicitur *in L. 8. §. 9. ff. de adminiſt. tutor.*

§. II.

Quod ſi creditores per procuratorem comparent, requirenda ſunt mandata, & legitimationes perſonarum, ſi creditores liquidantes in inſtrumentis productis non ſint nominati. Mev. *P.* 1. *dec.* 203.



Digitized by Google

Sed ne ita differatur cauſa, poteſt judex ſuſpendere legitimationis punctum, & jubere, ut in proximo mandatum, vel tutorium, vel curatorium producatur ſub pœna, & interim ejus petitio audiatur, ut in aliis proceſſibus fieri ſolet. Mev. *p.* 2. *dec.* 112.

PROCURATOREM) Nam in nullo proceſſu, etiam ſummario, negligenda legitimatio procuratorum per productionem mandati, quia per hoc totus proceſſus ſubſtantiam capit. Carpz. *in Proc. tit.* 5. *art.* 1. *n.* 57. Non enim haberem adverſarium, ſi procuratorem ſine mandato admitterem.

NOMINATI) Qui enim alieno inſtrumento in judicio utitur, illi opponitur exceptio legitimationis, ut doceat titulum, quo jure inſtrumentum hoc ad manus ejus pervenerit, quæ vocatur alias exceptio: *Tu non es nominatus in inſtrumento.* Et quamvis in inſtrumento ſolutio promisſa ſit allen getreuen Brieffs-Jnhabern/ probandum tamen a producente, quod ipſe ſit fidelis poſſeſſor inſtrumenti. Producet ergo vel inſtrumentum ceſſionis, vel per teſtes, qui negotio interfuerunt, ceſſionem probabit. Conf. Aut. *in tr. de Ceſſione Actionum*, *c.* 5. *n.* 68.

SUB POENA) Scil. præcluſi, daß Er alsdann ferner mit dieſer angegebenen Poſt nicht zu hören.

§. III.

Quando ſinguli creditores ſua nomina profesſi ſint, & originalia documenta cum copiis exhibuerunt, debet contradictor attendere ad ſubſcriptionem, an ea ſit debitoris, & an inſtrumentum ſit ſuſpectum, an raſuræ, vel interlineares ſcripturæ in loco ſubſtantiali, v. g. in expresſione ſummæ ac temporis, deprehendantur; Poſtea originalia cum exemplis con-

Digitized by Google

conferenda, & hæc ſubſcriptione firmanda a Secretario judicii, & creditori originalia reſtituenda.

CONTRADICTOR ATTENDERE) Cum contradictor debitoris vices ſuſtineat, omnes ipſi conquirendæ exceptiones, quas debitor ipſe opponere potuiſſet. Unde non tantum ad inſtrumentorum vitia, ſed præcipue ad Obligationum data reſpiciet, annon per præſcriptionem jus agendi exſpiraverit.

§. IV.

Quod ſi inſtrumenta ſint valida, ſed contradictor exceptionem in promtu habeat, v. g. ſolutionis, compenſationis, novationis, aut aliam, debet eam brevibus allegare, cui reſpondebit replicando creditor, & duplicando contradictor. Quod ſi autem exceptio nondum ſuccurrat, petendus eſt terminus extraordinarius, in quo, poſtquam documenta reviderit, exceptionem ſuam proponat, ne hæc remora cæteris creditoribus fraudi ſit. Interim ſecundus & tertius &c. in termino ordinario ſua credita exponent, quibus contradictor recognoſcendo, vel bonam fidem agnoſcendo, vel contradicendo, excipiendo reſpondebit.

IN PROMTU) An vero tantum illæ exceptiones admittuntur, quæ in continenti liquidabiles? Has ſolas admittunt Saxones contra inſtrumenta gvarentigiata, quod & extra Saxoniam in aliis locis receptum. Sed puto etiam illiquidas hic eſſe admittendas: quamvis enim plerique asſerant, proceſſum concurſus non eſſe ordinarium, ſed ſummarium, Mev. *P. 6. D. 337. n. 3.* Zanger. *de Except. p. 1. c. 1. n. 60. Ordin. Camer. p. 3. tit. 2. §. Item* Sachen der *Liquidation.* Carpz. *L. 1. Reſp. 79.* hoc tamen non ita ſtricte intelligendum; alioqui nec probationes per teſtes in concurſu fo-

rent admittendæ, utpote quæ probatio ad ordinarium proceſſum pertinet, Coler. *de Proc. Execut. p. 3. c. 1. n. 13.* Mev. *p. 7. Dec. 344. n. 2.* ſed ita ſummarius eſt hic proceſſus, ut omnes proceſſuum ambages, quantum poſſibile, tollantur, non ut ordinaria probatio excludatur. Unde is, qui per inſtrumenta creditum ſuum probat, non citius quid conſequitur, quam is, qui per teſtes, Salgad. *p. 1. c. 16.* ut ſic proceſſus hic mixtus ab aliquibus dicatur. Quod ſi illiquiditas magna, tunc remedium adhibendum, quod Autor habet in §. *5. & 7.*

## §. V.

Quod ſi autem creditum forte documentis non poſſit probari, ſed examine teſtium opus ſit, creditor ſtatim offeret articulos, & nomina teſtium, cum denominatione Commiſſariorum, a quo teſtes præſente contradictore, &, ſi velit, interrogatoria offerente, juramento adſtringendi; quod ſi hæc cauſa tam ſit intricata, ut pendente concurſu probari nequeat, ſed peculiarem proceſſum requirat, quod valde rarum eſſe puto, non erit reſpuendum conſilium Mevii, ut in proceſſu concurſus generali pergatur, ſuper aliorum liquidationibus, ita ut vel cautione, vel depoſitione eventuali quorundam bonorum illi creditori, cujus creditum peculiarem proceſſum requirit, proſpiciatur, Mev. *p. 6. dec. 337.* & interim ii, qui liquida jura habent, ad ſententiam poſſunt procedere, ſi & creditum, & privilegium prælationis ſit certum. Prukm. *V. 1. Conſ. 15. n. 87. ſeqq.* Mev. *de Arreſt. c. 19. num. 29.*

VEL

VEL DEPOSITIONE) Hoc remedium commodius eſt, nam alioqui omnes cavere tenerentur illi, qui jura ſua nondum deduxit, cum incertum, quo loco in prioritatis ſententia collocandus.

§. VI.

Quod ſi ſuper uſuris ſit quæſtio, v. g. creditor petit uſuras usque ad alterum tantum, juxta *Receſſum Provinc. de Anno* 1653. §. 33. contradictor autem neget, tot uſuras deberi, tunc petere poteſt contradictor vel creditor peculiarem terminum, ad rationes conferendas, & producendas apochas; quamvis hoc negotium coram Commiſſariis, ad id conſtitutis, expediri poſſit; apud nos tamen communiter hæc usque ad actum diſtributionis reſervantur.

USURAS AD ALTERUM TANTUM) Ulterius non currunt uſuræ reſtantes, aufgeſchwollene Zinſen/ ſed ſi uſuræ, particulariter ſolutæ, illæ etiam ultra alterum tantum currunt, uti hic in Marchia clare proviſum per *d. Receſſ.* & idem olim Jure Codicis obtinuit. *L. 10. C. de Uſur.*

DISTRIBUTIONIS) Unde etiam recepti moris eſt, ut in ſententia prioritatis, non adeo ſtricta habeatur ratio quantitatis a creditore liquidatæ, ſed illa ſimpliciter exprimi ſolet, prout liquidata: & generalis cautela vel ab initio, vel in fine ſententiæ additur: Solten auch einige von denen angegebenen *Credito*ren ihre Bezahlung entweder gäntzlich oder zum Theil bereits erhalten haben/ und ſolches mit Quittungen gebührend erwieſen werden können/ ſo iſt denenſelben bey der *Diſtribution* ſolches an ihren Forderungen abzuziehen.

§. VII.

Quod ſi contradictor ſolutionis vel compenſationis exceptionem non poſſit in continenti probare,

vel deſtituatur documentis, & eas exceptiones aliis teſtibus ſe probare poſſe putet, terminus extraordinarius conſtitui poteſt, ad productionem documentorum, vel examen teſtium, ne ea res ſecundæ citationi fraudi ſit, nec ea ob unius vel alterius nomen illiquidum, vel dubiam exceptionem protrahatur, & hoc fine etiam dandæ breviores dilationes, & creditores ſibi dictum putent: hoc age!

§. VIII.

Quod ſi contradictor unam vel alteram exceptionem omittat, poteſt unus ex cæteris creditoribus exceptionem opponere concreditori, v. g. exceptionem non numeratæ pecuniæ, præſcriptionis, vel dotis non numeratæ, quam ultimam exceptionem creditores poſſunt opponere, licet debitor maritus eam opponere non poſſit, ob lapſum temporum, *per Nov.* 106. Carpz. *p.* 1. *Jurispr. For. C.* 28. *d.* 74. Salg. *p.* 1. *C.* 40. *n.* 51. Et licet de jure tertii alias opponi non poſſit, ſecus tamen ſi tertius intereſſe habeat, vel jus tertii excludat jus agentis, Salg. *d. c.* 40. *n.* 18. *&* *p.* 2. *c.* 22. *n.* 63. Imo interdum exceptio non datur debitori, ſed creditori poſteriori, v. g. ut creditor teneatur prius ſpecialem hypothecam excutere, quam generalem. *L.* 2. *C. de pign.* Nam hoc in gratiam concreditorum, non vero debitoris latum, ideoque hæc exceptio non a debitore, ſed a concre-

ditore

Digitized by Google

ditore opponi poteſt. Covarr. *L.* 3. *Reſolut. c.* 18. *n.* 2. Guttierez. *L.* 3. *qu.* 92. *n.* 15. Salg. *P.* 1. *C.* 40. *n.* 24.

TEMPORUM) Poſt decennium maritus exceptionem non numeratæ dotis opponere nequit, quia tamdiu tacendo ſibi præjudicavit; (licet hoc tempus non præciſe a die nuptiarum, ſed a die factæ confeſſionis de accepta dote computandum, ſeu a die quietantiæ); ſed hoc tempus creditoribus non obeſt, cum mariti negligentia creditoribus nocere non debeat. Carpz. *P. 1. Conſt. 28. d. 76.* Hinc puto, etiamſi juraſſet maritus, ſe accepiſſe dotem, hoc juramentum tamen creditoribus non præjudicare. Barboſ. *ad L. 1. ff. ſolut. matrim. p. 6. n. 47.*

JURE TERTII) Tres caſus in hac materia diſtingvit Nonius Acoſta *in Tract. de Privil. Credit. reg. 1. n. 100. & ſeqq.* Aut creditores ex perſona debitoris excipiunt contra tertium, qui rem ex concurſu vindicat; aut contra creditorem, qui anteriorem hypothecam ex contractu vitioſo prætendit: &, utrobique ex perſona debitoris excipere licere, defendit. Aut creditores jus ſuum defendunt ex jure & perſona debitoris, cui alias jus conditionale competebat, e. g. ſi creditores contra illum, qui emphytevſin a debitore habet, ob non ſolutum canonem, ad privationem emphytevſeos agunt, cum tamen debitor, tanquam emphytevſeos dominus, ſe nondum declaraſſet de caducitate. Hoc caſu dicit, creditores emphytevſin auferre non poſſe, cum debitor in non acquirendo ipſis potuerit præjudicare, per *L. 6. ff. quæ in fraud. credit.* Verum quamvis hic caſus proprie ad exceptionis materiam non pertineat, diſtingvendum tamen puto; an emphytevta in ſolvendo canone moram jam commiſerit, antequam bona creditoribus ceſſa; an poſtea. Hoc caſu creditores ad privationem agere poſſent, cum ipſum dominium directum per ceſſionem bonorum ad ipſos tranſierit.

DEBITORIS) Si enim cum ſolo debitore lis ſit, nullus eſt locus exceptioni excuſſionis, ſed creditor pro lubitu

vel

Digitized by Google

vel perſonali, vel hypothecaria actione, vel utraque ſimul experiri, & hinc quoque pignus ſpeciale pro lubitu omittere poteſt, *per Nov. 4. c. 2.* Carpz. *P. 2. C. 23. Def. 29. num. 14.* Hartm. Piſtor. *L. 3. qu. 13. n. 9.*

§. IX.

Et ſi exceptio ex inſtrumento ad acta relato appareat, licet non opponatur, judex eam ſupplere poteſt, ex *tit. C. ut quæ deſunt Advocat.* & ita reliqui creditores poſſunt opponere exceptionem defectus tituli, vel cauſæ obligationis, vel ſimulationis, vel præſcriptionis, vel colluſionis. Salgado *d. C. 40. n. 15. & p. 3. c. 1. n. 23.*

DEFECTUS TITULI) H. e. defectus ceſſionis, ſi quis ex jure tertii experiatur.

PRÆSCRIPTIONIS) Hoc procedit, etiamſi debitor præſcriptionem opponere nolit, adverſus illum, qui rem ex concurſu jure alicujus dominii vindicat, vel alias actione perſonali jam tum præſcripta, in concurſu experitur. Renunciatio enim exceptionis a debitore facta, non debet nocere creditoribus, per *L. Debitorum. 25. C. de pactis.* & is, qui potuit præſcribere, ſed non fecit, culpabilis dicitur. Nonius Acoſta *de Priv. Cred. in præfat. ad reg. 1. n. 94.*

§. X.

Si creditor liquidatum ex fidejuſſione conveniat in concurſu, & contradictor opponat exceptionem excuſſionis, incumbit probatio creditori, debitorem principalem non eſſe ſolvendo, & hoc negotium ſimultaneo proceſſu terminetur. Salgado *p. 1. C. 23. n. 47. & ſeqq.* Si etiam contradictor neget intentionem

Digitized by Google

tionem actoris, & eventualiter exceptionem compenſationis, vel aliam opponeret, utile eſſet, ſi uterque ſuam intentionem in eodem termino jubeatur probare, ut tamen probatio a contradictore ſuſcepta non publicetur, niſi probata intentione actoris. *L.* 9. *C. de except.* Vid. *Proceſſ. Civ. c.* 18. *n.* 17.

SOLVENDO) Paupertas enim non præſumitur, ſed qui in ea ſe fundat, eam probare tenetur; quod hoc caſu facit creditor, omiſſa excuſſione debitoris, fidejuſſorem conveniendo.

NON PUBLICETUR) Omnis enim exceptio a reo propoſita, hanc tacitam conditionem habet, ſi actor prius probaverit ſuam intentionem, per *L. Siquidem. 9. C. de except.* Licet ergo ad abbreviandum proceſſum utrique injungatur probatio, prius tamen videndum, an actor probaverit, & hinc ejus atteſtata ante omnia publicanda: ſi enim, his publicatis, appareat, non eſſe probatam intentionem, non opus erit diſquirere, an probata ſit exceptio.

§. XI.

In fine primi termini debet contradictor petere ſecundam citationem edictalem, & in ſecundo termino eodem modo proceditur, ſicut in primo, & expediuntur ea, quæ in hunc ſecundum terminum e primo fuerunt dilata, quo peracto, tertia petitur citatio, in quo tertio termino præcluduntur omnes creditores, qui in nullo termino comparuerunt, & fertur itaque ſententia præcluſiva, & decernitur citatio creditorum ad deducenda jura prioritatis. Quin etiamſi nulla ſententia præcluſiva



Digitized by Google

ſiva lata, tamen cæteri ut contumaces præcluſi intelliguntur, niſi quis probabilem & juſtam cauſam omiſſæ vel dilatæ allegationis reddere poſſit, Mevius *P.*1. *Dec.*136. aut niſi quis juſtam ignorantiæ cauſam alleget & juramento in ſubſidium confirmet, nam tunc ope reſtitutionis admittendus, vel ob ætatem ſit excuſatio. Mev. *P.*3. *Dec.*48. In Camera Brandenburg. novi creditores etiam in inſtantia appellationis admittuntur, quod alibi obſervari non exiſtimo, nam licet appellatio reducat cauſam ad ſtatum, qui litis conteſtatæ tempore fuit, id tamen inter ipſos, qui in prima inſtantia litigantium vices ſuſtinuerunt, locum habet, & ſic effectus præcluſivæ ſententiæ ceſſaret, quod tamen fieri non deberet, ne fruſtra affigantur citationes præcluſivæ.

PRÆCLUDUNTUR OMNES) Omnis enim terminus probatorius ſui natura eſt peremtorius. Talis vero etiam eſt terminus in edictali citatione, ad liquidandum & probandum debitum præfixus. Mev. *P.1. D.134. n.8.*

PRÆCLUSIVA LATA) Graviter controvertitur, an ad excludendos alios creditores ſolus citationis præcluſivæ lapſus ſufficiat, an vero adhuc opus ſit ſententia declaratoria? Et hic communior opinio adhuc ſententiam requirit, cum cauſa ſupereſſe poſſit, quæ creditorem a contumacia liberet, Gail. *L.1. Obſ.57. n.9.* quam ſententiam quoque probat Mev. *in Diſcuſſ. Levam. Inop. Debit. c.3. n.130.* licet addat *n.132.* ſufficere, modo lata ſit ſententia in concurſu, licet expreſſam præcluſionis mentionem non faciat. Alii vero requirunt, ut per ſententiam creditoribus non comparentibus imponatur perpetuum ſilentium, & via agendi præcludatur. Richter. *de Priv. Cred. c.1. n.42.*

Mantz.

Digitized by Google

Mantz. *Dec.58. n.41.* Non tamen ita penitus actione excidunt, ſed tantum quoad bona concurſui huic ſubjecta excluduntur, hinc non pronunciatur: daß diejenigen *Creditores*, ſo zeithero ihre *Liquidationes* nicht *ad Acta* gebracht / ihrer Anforderung gäntzlich verluſtig. Sed ita: daß ſie von dieſem *Concurſu* gäntzlich abzuweiſen. Remanet ergo ipſis ſalva actio perſonalis contra debitorem, ſi poſtea forſitan ad meliorem fortunam pervenerit, vel contra tertium, qui pro hoc debito ſe obligavit. Salg. *P.1. c.8. n.16. ſeqq.*

§. XII.

Non dubium eſt, quin contradictor exceptionem compenſationis opponere poſſit, quodſi autem nomen, quo creditor viciſſim debitori dicitur obligatus, non ſit liquidum, poterit reconventio in proceſſu liquidationis inſtitui, *per L. Cum Papinianus.14. C. de Sentent. & interlocut. L.22. ff. de Judic. & tot. tit. X. de mutuis petit.* In ſpecie vero creditores immiſſi de fructibus perceptis & percipiendis, culpa levi non perceptis, tenentur reddere rationes. *L.3. C.de pignorat. act.* Si etiam exceptio ſolutionis non poſſit tam cito probari, poteſt etiam probatio ſolutionis in executionem differri, cum hæc etiam in executione opponi poſſit.

RECONVENTIO) Eſt enim reconventio favorabilis, & facit ad liberandum debitorem, vel etiam illa tendit in utilitatem poſteriorum creditorum, qui forte alias nihil conſecuturi eſſent. Hæc reconventio tamen æqualem naturam aſſumit cum ipſo concurſus proceſſu, ita ut æque celeriter expedienda: concurſus enim cum omnes cauſas creditorum ad ſe trahat, efficit quoque, ut omnes eodem proceſſu expediantur, & eadem ſententia terminentur.

 Salga-

Digitized by Google

Salgado *p.1. cap.26. n.37. & ſeqq.* Quod ſi tamen penitus illiquida reconventio, ita ut totus proceſſus concurſus ſit ſuſpendendus, tunc ne alii creditores ex hac mora damnum ſentiant, cautionem præſtare debet creditor reconventus de reſtituendo, vel etiam ejus portio interim deponenda, ſicuti dictum ſupra hoc *Cap. §. V.*

§. XIII.

Juramentum judiciale contradictor deferre non poteſt, *per L.17. §. ult. ff. de jurejur.* ſed ſibi delatum præſtare poteſt, *argum. L. Qui juraſſe.26. pr. d. tit.* Neceſſarium juramentum a judice deferri poteſt creditori, qui ſemiplene probaverit, modo ſumma debiti non ſit adeo magna, ſicuti uxori interdum pro dote ſoluta hoc juramentum deferri ſolet, non tamen ſi ſolam mariti confeſſionem habeat. Carpz. *P.1. c.28. def.75.*

NON POTEST) Poteſt tamen hoc procurator univerſorum bonorum, per *d. L.17. §. ult.* Alia autem ratio in contradictore, qui non bonis, ſed proceſſui datus, & hinc talem actum, qui in debitoris & aliorum creditorum præjudicium tendit, exercere non poteſt.

SOLAM MARITI) Quia ſuſpecta illa confeſſio & plerumque blanditiis uxoris elicita; ut taceam, mariti obærati intereſſe, ut magna dotis ſit quantitas, cum hæc poſtea ad liberos ejus devolvatur, quibus alias ex concurſu nihil remanet. Si tamen cum confeſſione aut quietantia mariti concurrat præſumtio aliqua, e. g. quod uxor ex bonis paternis tantam dotem habere potuerit, admittitur ad juramentum ſuppletorium. Conf. Carpz. *P.1. D.59.*

§. XIV.

Quod ſi unus vel alter creditorum dilationem petat, ea facile non eſt danda, niſi ex juſtiſſima & urgen-

Digitized by Google

urgentiſſima cauſa, attento, quam durum ſit, ob unius vel alterius qualequale impedimentum, aliorum concurrentium creditorum petitiones differre, ut ait Mev. *ad Jus Lubec. l.* 3. *tit.* 1. *art.* II. *n.* 18.

§. XV.

Si creditores nonnulli credita ſua probare non poſſint, deciſio prioritatis ſuſcipienda, & ſuper talibus creditis nondum liquidis, ſc. ſi nulla contumacia ac negligentia creditoris concurrat, conditionaliter ferri poteſt ſententia: **Wenn er beſſer/ wie geſchehen/ ſeine Forderung beſcheinigen würde/ wozu ihm 14. Tage oder 3. Wochen ſollen eingeräumet werden.** Carpz. *p.* 1. *C.* 28. *def.* 4. Mevius *d. l. n.* 22.

CONDITIONALITER) Vocari hæc ſolet ſententia proviſionalis, ubi in caſum melioris deductionis certus creditori locus aſſignatur. Interdum etiam in caſum deficientis probationis ad locum poſteriorem ſolet remitti: Daß *Sempronius* vermöge angegebener *Hypothec* in der ſechſten Stelle zu befriedigen/ im fall Er aber ſolche *Hypothec* gebührend nicht erweiſen ſolte/ iſt Er *inter Chirographarios pro rata* zu bezahlen.

# CAPUT IV.

## DE DISPUTATIONE CIRCA PRIORITATEM.

### SUMMARIA.

1. *Creditores inter ſe de prioritate diſputare debent.*

2. *Punctus liquidationis & prioritatis ad diverſa tendunt.*
3. *Finita liquidatione terminus dandus, ad diſputandam prioritatem.*
4. *Vel prioritas ex officio a judice attendenda.*
5. *Creditoribus licitum eſt, etiam contra veritatem nominum concreditorum exceptiones opponere.*
6. *Quid in refutatione aliorum creditorum obſervandum.*
7. *Prælationis cauſa ab allegante probanda.*
8. *Creditor concreditori juramentum deferre poteſt.*

§. I.

NOn ſufficit autem, ſi creditores ſua credita liquida reddiderint, ſed etiam neceſſe eſt, ut creditores inter ſe de prioritate diſputent; nam ſi hoc non fiat, non poteſt definitiva ſententia ferri, cum non tantum de veritate; ſed etiam de prioritate creditorum inter ſe, & de ordine pronunciandum ſit. Carpz. *P.* 1. *C.* 28. *def.* 2.

DE ORDINE) De ordine vero non conſtabit, niſi alter alterius jura prioritatis allegata examinaverit; quod quamvis videatur per judicem fieri poſſe, quorſum & certo caſu reſpicit Aut. *infra* §. 4. attamen cum illud, ex quo prioritatis jus dependet, in facto conſiſtat, e. g. an hoc creditum in funus, vel refectionem bonorum impenſum; an dos revera illata, annon inſtrumentum hypothecæ ſit ſimulatum, factum vero judex ſcire nequeat, omnino neceſſum eſt, ut creditores invicem ſua jura examinent; quamvis hoc plerumque contradictori, vel extra Marchiam curatori bonorum committi ſoleat.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quamvis autem Mevius *de Jur. Lubecenſ. lib. 3. tit. 1. art. 11.* tradat, ad abbreviandum proceſſum liquidationis conjungendum eſſe utrumque punctum liquidationis, & prioritatis, & ad utrumque peragendum certum terminum adſignandum eſſe, ſub pœna concluſi. Id tamen juris rationi non convenire puto. Nam aliæ ſunt perſonæ litigantes in puncto liquidationis, aliæ in puncto prioritatis: in illo agunt ſinguli creditores cum contradictore; in hoc agunt creditores inter ſe, quis prior ſit, & nullæ hic ſunt partes contradictoris, cum debitoris non interſit, cui prius ſolvatur. Salgado *p. 1. c. 16. n. 23. ſeqq. & l. 2. c. 4. n. 57.* Si ergo aliquis creditorum cauſam alleget, cur prioritatem prætendat, merito aliis facultas concedenda iſtam cauſam examinandi, & prioritatem impugnandi, quæ praxis paſſim recepta. Hoc certum, non poſſe de prioritate diſputari, antequam ſua credita probaverint, nam ſi non probaverint, fruſtra de prioritate diſputaretur.

PRIORITATIS) Puto tamen Mevii ſententiam in foro receptam eſſe, ſc. ſemper ſcripto liquidationis addendam eſſe deductionem juris prioritatis, quod omnino ad maturandum proceſſum facit, Carpzov. *P. 1. C. 28. D. 3. num. 5.* add. Mev. *P. 6. Deciſ. 337.* Cum vero contradictor tantum de veritate debiti ſollicitus ſit, poſtea creditoribus per Edictum ſignificari poſſet, ut ſi quid habeant, quod alter alterius prætenſæ prioritati opponat, id intra certum terminum faciat, & huc jam collimat ſententia Autoris.

EXA-

Digitized by Google

EXAMINANDI) Ut ſc. creditor in creditoris jura prioritatis inquirat, quo ita alter præ altero priorem locum obtineat.

PROBAVERINT) Probatio hæc non tantum fieri poteſt per inſtrumenta, ſed etiam per teſtes: licet enim hæc poſterior probatio ad ordinarium proceſſum pertineat, Coler. *de Proc. Execut. P.3.c.1.n.17.d.18.* in concurſu tamen nihilominus admittenda, nec magis favendum illi, qui inſtrumento gvarentigiato probat; licet enim hoc habeat paratam executionem, attamen quia hic non contra debitorem, ſed contra ipſos creditores cauſa peragitur, & ita quaſi inter tertios, executive vero contra tertium ex inſtrumento agere non liceat, ideoque hoc effectu ſuo plenario deſtituitur, Salgad. *p.1.cap.16.n.23.vid.not.ſuperius ad §.4.cap.3.* Ut taceam, ſolam confeſſionem debitoris hoc caſu vices liquidiſſimæ probationis ſuſtinere non poſſe, poſtquam decoxit. Mev. *P.7.Dec.134.n.1.*

## §. III.

Finitis igitur terminis liquidationi præfixis, citandi ſunt peremtorie creditores, ad deducenda jura prioritatis; nam licet in prioribus terminis ſoleant ſimul jura ſua deducere, cur aliis, qui melius jus non habent, præferendi ſint? ſpatium tamen iis dandum in ſpecie, ſi alter alterius fundamenta prioritatis confutare valeat, nec opus eſt, ut ſingulis copiæ vel extracta dentur, Mev. *d.l.n.*20. ſed ſufficere puto, ſi creditoribus eorumque Advocatis facultas detur præſente Actuario, in loco judicii, diebus non juridicis, Acta perluſtrare, & quædam excerpere, ne in deſcribendis extractis remora proceſſui



Digitized by Google

ceſſui injiciatur, niſi quantitas crediti petiti, & rei difficultas aliud ſvadeat.

SVADEAT) H. e. ſi ex collatione documentorum & examinatione rationum, aliarumque circumſtantiarum veritas inquirenda, tum copiæ non denegandæ.

§. IV.

Si vero creditores nonnulli hunc laborem ſuſcipere nolint, ſc. ſi nulla in facto diſcrepantia, ſed in judicem hanc curam rejiciant, judex tunc ex efficio in jura creditorum, & in cauſas debitorum inquirat, quia judex ex officio, quæ juris ſunt, ſupplere debet, *per tot. tit. C. ut quæ deſunt Advocatis partium, Judex ſuppleat.* Præſertim quando creditores juris ſunt ignari, perſonæ miſerabiles, indefenſæ, vel debita exigua. Carpz. *d. l. def.* 2.

§. V.

In hoc tamen termino deducendæ prioritatis, licet creditoribus aliis, creditorum aliorum nomina examinare, & exceptiones contra ea opponere, quia (1.) intereſt omnium creditorum, ut quam pauciſſimi adſint creditores (2.) Quia nondum ſententia lata ſuper crediti veritate, & (3.) Exceptioni non præſcribitur, ut actioni. *L. 5. §. fin. ff. de doli mali & met. exc.*

PAUCISSIMI) Hoc contingit, ſi oppoſitis exceptionibus eorum credita elidantur, ubi reliqui creditores pleniorem ſatisfactionem obtinere poſſunt.

H §VI.

Digitized by Google

§. VI.

Lapſo primo termino, reliquis creditoribus in ſecundo termino ſignificari ſolet, quod creditoribus aliis liceat, iis, quæ in primo termino contra ſe allegata ſunt, contradicere, & quidem ad duo puncta reſpiciendum in exceptione creditoribus, (1.) an creditores, qui in primo termino de prioritate diſputarunt, ſuorum nominum prioritatem probare ſint conati, (2.) an aliorum jura voluerint impugnare, utrumque aut alterutrum refutare, & ad fundamenta reſpondere tenebuntur; deinde an in facto conveniant, & de jure diſputent, quod judici committendum; an vero in facto pugnent; & ultra duos terminos ſeu ultra duplicam non videtur progrediendum. Lapſo autem ſecundo termino, concludendum in cauſa, & alius terminus ſtatuendus, ad inrotulationem Actorum, vel ſi transmiſſione opus non ſit, ad publicandam ſententiam.

LICEAT) Notanter dicit Autor, *liceat*, nam præciſe neceſſitatis hoc non eſt, ut creditores inter ſe ſuper prioritate diſputent, poſſunt enim, ſi velint, mox ad ſententiam ſubmittere. Hoc caſu tamen Judex eo ordine ſententiam concipiet, quem debiti cujusque privilegium exigit; & hinc cauſam privilegii in actis allegatam veram ſupponit, cum creditores reliqui tacendo & nihil opponendo, eam approbaſſe videantur. Poteſt tamen nihilominus judex, ſi unius alteriusve creditoris jus ſuſpectum videatur, ipſi in ſententia ſub conditione certa, ſi hoc vel illud prius probaverit, locum aſſignare. Præcipue vero in concurſibus plebejorum judex ſine diſputatione creditorum prioritа-

oritatem examinare debet. Manzius *Deciſ. Palatin. q. 60. num. 11.*

§. VII.

Si quis prioritatem ex facto allegaverit, ad probationem ejus cauſæ admittendus eſt, verbi grat. ſi quis allegat ex ſuo credito onera publica, vel alia privilegiata debita ſoluta, vel refectas ædes, ſi uxor illationem dotis jubeatur probare, vel tantum expenſum eſſe pro funerando debitore &c. tunc illud non tantum in termino ordinario; ſed extraordinario etiam fieri poteſt, ut proceſſus eo citius finiatur.

EJUS CAUSÆ) Quando enim privilegiati creditores inter ſe concurrunt, in determinanda prioritate non attenditur tempus, ſed cauſa cujuslibet privilegii per *L. Privilegia. 32. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* Gait. *Tr. de credito cap. 4. in append. num. 126.*

REFECTAS ÆDES) Sola enim confeſſio debitoris, creditum ad tributa vel refectionem bonorum eſſe impenſum, (utut hæc alias liquidiſſima probatio ſit, ſi contra confitentem experiundum,) hoc caſu, ubi inter diverſos creditores res eſt, parum operari poteſt; debitor enim ſua confeſſione aliorum jus potius intervertere non poteſt; accedere ergo debent confeſſioni alia adminicula; imo ſi confeſſio facta, jam moto vel imminente concurſu, plane vitioſa eſt. Mev. *P. 7. D. 134.*

§. VIII.

Non eſt dubium, creditorem concreditori poſſe deferre juramentum, contra quem enim excipere licet, illi etiam juramentum ſuper exceptione deferre poſſum. Interdum vero ex juſta cauſa, præ-

cipue ob defectum probationis deferri poteſt juramentum a judice, e. g. ſi concurrant duo inſtrumenta privata, & non conſtet, quodnam prius: quod idem quoque obtinet, ſi utrumque inſtrumentum certa ratione publicum, hoc eſt, ſi utrumque trium teſtium ſubſcriptionem habeat. *L. Scripturas.* 11. *C. qui potior. in pign.*

JURAMENTUM) Hoc tamen juramentum præſtitum, reliquis creditoribus, qui illud non detulerunt, præjudicare nequit; nam ſicuti alias juramentum ad unius inſtantiam præſtitum, non trahitur ad alium, Joh. Dominic. Gait. *Tr. de credit. cap. 2. n. 264.* ita quoque unius creditoris factum, rem conſcientiæ alterius creditoris committentis, ad creditorem non deferentem trahi non poteſt, ſed is, qui juravit, illum tantum in concurſu vinceret, qui juramentum detuliſſet.

DEFECTUM PROBATIONIS) Eſt hoc juramentum ſuppletorium toties neceſſarium, quoties creditor ſemiplene tantum probavit debitum; vel ſi debitum quidem probaverit, cauſa tamen debiti, ex qua prælationis jus dependet, non æque liquida, E. G. ſi pecunia credita ſit, & in funus dicatur impenſa: ultimum hoc juramento probabit.

QUODNAM PRIUS) Quod ſi vero temporis certitudo nec per juramentum elici poſſit, in eodem loco uterque collocatur creditor, & ſolvitur ipſis pro rata crediti, ſi utrique ſatisfieri nequeat.

CAP.

Digitized by Google

# CAPUT V.

## DE SENTENTIA PRIORITATIS CONCIPIENDA.

### SUMMARIA.

1. *Creditores ad ſententiam publicandam citandi.* 2. *Generalia quædam ſententiæ præmittenda.* 3. *Quædam certos creditores concernunt.* 4. *Claſſium diſtributio, & de expenſis proceſſus.*

CLASSIS I. §. 5. *Jus* dominii *habentes.* 6. *Res* dotalis *extans.* Pupillus & miles, *cujus pecunia res emta.* 7. Venditor *fidem non habens, & dominium reſervans.* 8. Liberi *in bonis ſuis extantibus.* 9. Coheres ſocius. *Debitor in pignore. Dominus rei furtivæ.* 10. Princeps & Fiſcus *in caducis.* 11. *Quid in* Collectis & tributis.

CLASSIS II. §. 12. *Jus* Separationis. 13. *Quaſi-Separationis.* 14. Expenſæ funeris. 15. Medicamenta. 16. Mercedes famulorum. 17. *Quid ſi uſuras ſtipulati?* 18. *Canones &* penſiones Eccleſiæ. 19. Onera *Magiſtratui ex prædiis debita.* 20. Annui reditus. 21. Pecuniæ hereditariæ. 22. Conſenſus *Domini in feudo.* 23. *Quid in allodio?* 24. *De Conſenſu agnatorum.* 25. Pecuniæ feudales. 26. *Creditam ad* militiam *vel dignitatem.* 27. Dos illata. 28. *Augmentum dotis.* 29. *Quid ſi ſciens obærato nupſit?* 30. *Quid ſi uxor*

*ſocia?* 31. *Quid ſi in culpa paupertatis?* 32. *Illatio quomodo probetur?* 33. *Quid de* Paraphernalibus *& receptitiis?* 34. *De* Donatione propter nuptias. 35. *Prælatio uxoris an aliis competat?* 36. *Quid ſi res dotalis extet?* 37. Militia *præfertur doti. De renunciatione.* 38. Fiſcus. 39. *Creditum ad* refectionem. 40. *Non ad* emtionem. 41. *Niſi hypotheca conſtituta.* 42. *Exceptiones.* 43. 44. Judicialis hypotheca. 45. *A tribus teſtibus ſubſcripta.* 46. *Quid de inſtrumento recognito?* 47. *Fugitivi bona ſiſtens.*

CLASSIS III. §. 48. Hypotheca. 49. Arreſtum. 50. *Formulæ hypothecam inducentes.* 51. 52. Hypothecæ tacitæ *exempla.* 53. *Quid in feudis?* 54. *Quid in immiſſis?* 55. Pignus Prætorium. 56. *Quid ſi Creditor duplicem hypothecam habeat?* 57. *Prior tempore præfertur.* 58. *Limitatur.* 59. *Hypothecarius quandoque ad chirographarios remittitur.*

CLASSIS IV. §. 60. *Perſonale privilegium habentes.* 61. *De* deponente. 62. *Debitum* alimentorum. 63. *Creditum* ad rem emendam. 64. *Venditor ovium. Medici. Advocati. Studia. Creditum ſine uſuris.* 65. *Quibus privilegium perſonale non competat.*

CLASSIS V. §. 66. Chirographarii. 67. *Separatio chirographariorum.* 68. *Cujus loci Statuta attendenda?* 69. Decimæ Uſuræ *tributorum, &* pœnæ *fiſcales poſtponuntur.* 70. 71. *Poſteriori creditori ſolutum*

Digitized by Google

*lutum, an a prioribus repeti poſſit?* 72. *Adducuntur caſus ex* Carpzov. 73. *An* Uſuræ *cum ſorte ſimul adjudicandæ?*

§. I.

QUando in ſecundo termino prælationis de prioritate actum, tunc citatio ad publicandam ſententiam decernitur, & per edictum publicatio creditoribus notificatur. Concipitur autem ſententia a collegio JCtorum, ad quod acta transmittuntur ad concipiendam ſententiam.

ACTA TRANSMITTUNTUR) Hoc non neceſſitatis eſt, ſed in arbitrio creditorum conſiſtit; Nam & in loco judicii ſententia concipi poteſt. Quamvis hunc laborem ſatis tædioſum plerumque ſubterfugere ſoleant Aſſeſſores Judiciorum, proprio motu transmiſſionem actorum eligentes. Quam tamen cauſam ad transmiſſionem non ſufficere, cenſet Schrader. *de Feud. P. 10. Sect. 14. n. 53.* Vocatur hæc ſententia in Saxonia das Deſignation-Urthel, aut ſi Decretum ipſius Judicis interpoſitum der Deſignation-Abſchied. Cæterum in conceptione hujus ſententiæ illud attendendum, ut non modo ſecundum jura a partibus deducta & oſtenſa feratur, ſed ut attendantur ſtatuta domicilii debitoris reſpectu mobilium, licet alibi exiſtentium. Carpz. *P. 1. c. 28. d. 9. Vid. inf.* §. 68.

§. II.

Sunt autem materialia ſententiæ concurſus creditorum duplicia, alia generalia, quæ concernunt in genere perſonam debitorum & creditorum; v. g. quod debitor, aut ejus heredes creditoribus inventarium, ad juratam ſpecificationem bonorum exhibere

hibere debeant. (2) Quod creditores, qui non comparuerunt, a concurſu hoc excluſi eſſe debeant. (3.) Quod uſuræ ultra alterum tantum non debeant computari. (4.) Quod uſuræ non ſint una cum ſorte adjudicandæ, ſed capitalia primo ſolvenda, & cum hæc ſoluta, tunc demum uſuræ adjudicentur pro rata, ut in foro Saxon. & olim in Camer. Brandenb. pronunciatum fuit, ut & hodie jure retorſionis. *Rec. Provinc. Anno* 1653. §. 33. (5.) Quod uſuræ in Marchia non ulterius computandæ, quam ad tempus moti concurſus, per dictum *Rec.* §. 33. (6.) Quod immiſſi creditores, vel viduæ jure retentionis uſæ, de fructibus reddere rationem teneantur. (7.) Quod creditores originalia cum exemplis hactenus productis in judicio conferre teneatur. (8.) Quod rationes redditæ ſint adhuc examinandæ. (9.) Quod jus ſeparationis ſit exercendum, inter debita paterna & debita liberorum &c.

ULTRA ALTERUM TANTUM) Cum tamen dentur caſus aliqui excepti, ubi etiam uſuræ ultra alterum tantum currunt, e. g. in piis cauſis, utile eſt, ita hoc præmittere, daß die Creditores ihrer angegebenen Zinſen weiter nicht / als *usque ad alterum tantum* zubefriedigen / auſſer diejenigen / denen ſolche *expreſſe* Zinſen weiter zuerkant.

UNA CUM SORTE) Eſt hæc praxis Saxon. de qua dictum eſt infra §. 72. Apud nos, & ubicunque alias jure Communi utuntur, capitalia cum uſuris eodem loco adjudicantur. Singulare tantum aliquid receptum in Ducatu Hannoverano, ubi cum ſorte trium annorum uſuræ ſimul

ſimul adjudicantur, reliquæ vero uſuræ, poſtquam omnibus creditoribus de ſorte ſatisfactum, ſolvuntur, de quo exſtat Edict. de Anno 1621. d. 21. Jan. cujus tenor hic eſt:
Von Gottes Gnaden Wir Ernſt Auguſtus Biſchoff zu Oßnabrück/ Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg/ ꝛc. Fügen hiermit allen und jeden Unſern Unterthanen und Angehörigen/ und allen andern/ ſo in Unſern Fürſtenthümern und Ländern in Schuld-Sachen zu thun und zu klagen haben/ zu wiſſen; Als Wir wahrgenommen/ daß bey denen vor Unſern Gerichten angeſtelleten Concurſibus Creditorum, und in ſothanen Sachen publicirten Priorität Urtheln/ wegen Bezahlung der von den ſchuldigen Capitalien annoch rückſtändigen Zinſen/ unterſchiedlich geſprochen/ indem etliche in ſothanen Urtheilen die Capitalia und Zinſen ingeſambt in eine gleiche Ordnung/ nach Inhalt der gemeinen beſchriebenen Käyſerl. Rechte/ geſetzet/ andere aber die Capitalia vorher abſonderlich nach der Riege und Alter der Obligationen eingetheilet/ die Zinſen aber ingeſampt erſt nach den Capitalien, jedoch in eben ſelbige Claſſem, wie vorhero den Hauptſtuhl/ maſſen es alſo in einigen benachbarten Landen gehalten wird/ zu bezahlen geſetzet/ daß Wir dahero ſolche Mißhelligkeit auffzuheben/ und darunter eine Conformität/ als Wir es der Billigkeit gemäß befinden/ zu ſtifften/ vor nöthig befunden; Setzen/ ordnen und conſtituiren demnach und in Krafft dieſes aus Landes Fürſtl. Hoheit/ Macht und Gewalt/ daß bey denen Concurſibus Creditorum, in puncto prioritatis, vor erſt die Capitalia, und bey jedes drey Jährige hinterſtellige Zinſen/ in eben die Claſſem, worinnen das Capital zuerkant/ geſetzet/ die übrigen Zinſen aber nach allen Capitalien hinten an/ jedoch in eben ſolcher Ordnung/ wie die Capitalia vorhero ſtehen/ adjudiciret werden ſollen. Gebieten und befehlen auch Unſern Vice-Cantzler und Räthen/ Vice-Hoff-Richter und Hoffgerichts Aſſeſſoren, Land-Droſten/ Beampten/ Gerichtshaltern/ denen Bürgermeiſtern und Räthen in den Städten/ und allen und jeden/ ſo in Unſern Landen Gerichte haben und halten/ hiemit in Gnaden ernſtlich/ und wollen/

daß Sie ſampt und ſonders vorgeſetzter Unſerer gnädigſten Verordnung und Conſtitution jedesmahl gehorſamlich in judicando nachleben. Daran geſchiehet Unſer gnädigſter Wille und Meynung. Geben in Unſer Reſidence Hannover den 31. Januarii Anno 1682.

JURE RETORSIONIS) E. g. ſi creditor ex Saxonia vel Sileſia, hic in Marchia peteret in concurſu debitum cum uſuris, ſortem ſolam reciperet, & poſt creditores omnes demum uſuras, quia idem Marchicis creditoribus contingit in Saxonia vel Sileſia.

IN JUDICIO) Quod interdum reſervatur ad actum diſtributionis bonorum, daß Klägere / ſo ihre *Originalia ad Acta* biß *dato* nicht gebracht / ſolches bey dem *Actu Diſtributionis* zu thun ſchuldig / de quo dictum ſuperius.

§. III.

Quod vero ſingulos creditores concernit, quidam plane excluduntur, quia ſua nomina non probarunt; vel ad probationem meliorem admittuntur ſub certa dilatione, vel juramento ſuppletorio locus eſt. Reliqui creditores ſecundum prioritatis jura ſuo loco atque ordine diſponuntur, interdum abſolute, interdum conditionate, ſi intra certum terminum melius probaverint, vel debitum ipſum, vel debiti privilegium.

§. IV.

Numerantur autem vulgo quinque claſſes creditorum. Prima eſt eorum, qui jus dominii habent; altera, qui habent jus privilegiatum reale; tertia hypothecariorum; quarta eorum, qui ratione perſonæ privilegium habent; quinta chirographariorum

Digitized by Google

rum merorum. Ante has claſſes collocari ſolet ſalarium contradictoris, & quæ in totum proceſſum in utilitatem omnium creditorum erogata ſunt, ut praxis habet.

QUINQUE CLASSES) Quot claſſes etiam in Saxonia numerantur, Ord. Proceſſ. *tit. 41.* §. Es ſeynd aber &c. longe tamen alia ſerie & alio ordine, quam qui hic fuit obſervatus, quod collatio Ord. Proceſſ. Sax. *d. t. 41. ſeqq.* & illorum, quæ habet ad *P. 1. C. 28.* Carpz. nullo negotio oſtendit.

PRIVILEGIATUM REALE) Hoc Reale dicitur eatenus, quatenus omnibus hypothecariis præfertur, intuitu privilegii perſonalis, quod omnibus hypothecariis poſtponitur: de cætero ex illis aliqui ſaltem jus prælationis cum hypotheca habent, e. g. dos. Aliqui jus prælationis ſine hypotheca; ut expenſæ funebres, mercedes famulorum &c.

§. V.

Prima claſſis eſt eorum, qui jus dominii habent, & generalis eſt regula, quod dominus quilibet præferatur aliis debitoris creditoribus, quia creditoribus ſua credita ſolvenda ex propriis communis debitoris bonis, ſic deponens in re depoſita adhuc extante, præponitur omnibus creditoribus, *L. 7. §. 2. ff. depoſ.* ſic etiam locator & commodator, & mandans in re ad implendum mandatum conceſſa. Beuther. *de prælat. credit. p. 1. c. 43.* Carpzov. *P. 1. Conſt. 28. D. 16. n. 1.* Richter. *de privil. credit. l. 3. c. 2. memb. 1.* Depoſito comparant nonnulli cambium, recte notati a Chemnitio *Diſput. Inaugural. de Priorit. creditorum. th. 9.* CLASS. I.

I 2 DEBI-

DEBITORIS BONIS) Quæ ergo res in dominio creditoris eſt, illa ad bona debitoris non pertinet, & per conſequens nec æris alieni ſolutio exinde peti poteſt, ſed eam creditor vindicat; quæ vindicatio vincit omnia aliorum jura, ſive realia, ſive perſonalia. Carpz. *P. 1. C. 28. D. 13. n. 2.* Unde & tributis præfertur. *Vid. infra §. 11.*

EXTANTE) An vero inter ipſos deponentes ordo ſpectandus, an omnes ſimul admittendi, diſquiritur; & deciditur *in L. 7. §. ult. ff. Depoſit.* omnes ſimul admittendos, etiamſi res non amplius exſtet, *per L. 8. ff. eod.* Verum ita dicendum puto, aut res depoſita exſtat, aut non. Priori caſu fruſtra de ordine quæritur, cum unusquisque ſuum depoſitum vindicet, unde ſi unius depoſitum conſumptum, & alterius adhuc exſtet, hic ſolus præfertur. Poſteriori caſu, ſi omnia depoſita conſumta, tantum perſonale privilegium habent, & tunc ſine ordine, ſcil. temporis, concurrunt pro rata. *Vid. infra §. 61.*

COMMODATOR) Manet enim commodata res in dominio commodantis, *per L. 8. & 9. ff. commod.* & eo nomine ipſi competit Rei vindicatio, *per L. 9. ff. de R. V.* Unde commodator jure dominii aliis præferendus. Eadem ratio eſt in pignore, quod in dominio debitoris remanet, *per L. Pignus. 9. C. de pignor. act.* Hinc ſi is, qui debitori concurſum excitanti rem oppignoravit, debitum reſtituat, pignus jure dominii repetit. Cui vero, pendente concurſu pignus repetens, ſolvet debitum? Reſp. aut curator bonorum adeſt, & illi ſolvet pecuniam; aut non adeſt, & judicialiter deponet. Vid. Mev. *P. 4. D. 254. Vid. infr. §. IX.* Huc ſpectat ille caſus inter mercatores frequentiſſimus von Commis-Waaren/ ſi ſcil. creditor debitori certas merces commiſerit, ut illas venderet, quo caſu, moto concurſu, merces illæ exſtantes vindicantur, aliud ſi crediſſet merces, ſic enim dominium transtuliſſet, idem obtinet in pecunia alicui ad emendum vel transferendum

rendum

Digitized by Google

rendum data, modo illa pecunia adhuc exſtet, de cujus probatione vid. Salgad. *in Labyr. Credit. p. 1. c. 10. n. 61.*

CAMBIUM) Cambio prælationem concedunt ob utilitatem publicam, cum Reſpublica propter commerciorum neceſſitatem cambiis carere non poſſit. Vid. Berlich. *P. 1. Concl. 64. num. 14.* Beuther. *de jure præl. l. 1. c. 32.* Verum diverſa hic a depoſito ratio eſt; in depoſito enim id agitur, ut iidem nummi reſtituantur; in cambio vero dominium nummorum transferatur, & hoc tantum agitur, ut alibi alia pecunia exſolvatur. Chemn. *d. l.* Et quamvis Carpz. *P. 3. D. 280. num. 5.* prælationem ad eum caſum reſtringat, ſi pecunia cambialis adhuc exſtet, quod tunc vindicari poſſit, exemplo illius, cui pecunia transferenda datur; attamen & hic diſpar ratio eſt, cum cui pecunia transferenda datur, nihil juris in nummos conſequatur, ſed eos in ſpecie reddere teneatur. Cum Berlichio quidem ſentit etiam Marquard. *de Jur. Marcat. L. 2. c. 12. n. 65.* Verum *n. ſeq.* ipſe fatetur, Lubecæ contrarium obſervari.

§. VI.

Sic & mulier in re dotali adhuc extante, & in re extante, quæ ſua pecunia dotali empta, *L. 54. de jure dotium.* Chemnit. *d. l. th. 15.* Pupillus in re, ſua pecunia empta, *L. 2. C. quando ex facti tut.* item is, ex cujus pecunia res, ejusdem nomine, ſciente venditore empta, *L. 6. C. de R. V.* Et miles, ex cujus pecunia caſtrenſi res empta. *L. 8. C. de Rei Vind.* Carpz. *P. 1. C. 28. def. 109.*

PECUNIA DOTALI) Communiter limitatur deciſio *d. L. 54.* quod res, ex pecunia dotali empta, ſit dotalis, ſi uxore conſentiente empta, & ipſi hoc ſit utile: *L. 26. ff. de jur. dot.* quæ utilitas in concurſu creditorum extra dubium eſt. Ex quo etiam colligunt, ſi pecunia dotalis impenſa ad liberandos creditores hypothecarios vel privilegia-

tos, uxorem in eorum locum ſuccedere etiam ſine ceſſione. Mev. *P. 4. D. 215. & p. 5. D. 253.*

PECUNIA EMPTA) Sc. ſi ab ipſo tutore empta; nam ſi tertius ex pecunia pupillari prædium emiſſet, non dominium, ſed hypothecam tantum conſequeretur pupillus, *per L. 7. ff. qui pot. in pign. & L. 8. C. de R. V.* Carpzov. *P. 1. C. 28. Def. 109. n. 6.* Quod vero de tutore emente pecunia pupillari hic dicitur, extendunt quidem Doctores ad omnem adminiſtratorem, ementem aliquid ex pecunia, ſuæ adminiſtrationi commiſſa, qualis eſt adminiſtrator eccleſiæ, civitatis; Hartm. Piſt. *P. 1. Qu. 7. n. 12. ſeqq.* Dn. Brunn. *ad L. 6. C. de R. V. n. 6.* Rodriquez. *de Concurſ. Credit. P. 1. Artic. 5.* quod eatenus admitti poteſt, quatenus civitas & Eccleſiæ utuntur jure minorum.

§. VII.

Idem in venditore, qui fidem non habuit de pretio, quia dominus manet, *arg.* §. 41. *Inſt. de Rei Vind.* vel fidem habuit, ſed fraude emptoris inductus, ut venderet, & emptor tunc non ſolvendo exiſtat, nam tunc venditor rem a tertio poſſeſſore avocare poteſt, Carpz. *d. C.* 28. *def.* 18. *ſeq.* Idem ſi dominium ſibi reſervavit venditor, usque dum ſolvat emptor, nam hoc caſu repetere rem poteſt venditor præ aliis omnibus creditoribus, Carpzov. *d. Conſt. def.* 21. ad quam reſervationem domini conſenſus in feudis neceſſarius eſt, non agnatorum, ut vult Carpzov. *L.* 4. *Reſp.* 28.

FRAUDE EMPTORIS) Propter dolum enim non præſumitur tranſtuliſſe dominium, cum, qui dolo inductus conſentit, conditionaliter conſentiat, ſi res ita ſe habeat; hac conditione ergo ceſſante, ceſſabit translatio dominii, & hinc talis creditor jure dominii merito omnibus aliis præfe-

præferendus. Marquard. *de Jur. Mercat. l. 2. c. 2. num. 16.* Salgado *Part. 1. c. 9. num. 40.*

AGNATORUM) Carpz. *alleg. loc.* de hypotheca in feudo reſervata agit, ubi nulla ratio eſt, quare agnati conſentire deberent, quia hoc feudum ita emptum, novum eſt, in quo agnati nullum jus habent, ergo nec hypothecam, nec dominii reſervationem impedire poſſunt. Imo nec domini conſenſum hic præciſe neceſſarium putarem, dominus enim conſentiendo in feudi alienationem ſuppoſuit pecuniam, ab emptore ſolutam, nec ille conſenſus vaſallum venditorem ſtringere poteſt, ut antequam pecuniam recipiat, tradat. Ergo liberum eſt ipſi tradere interim, & dominium ad ſolutionem usque ſibi reſervare.

## §. VIII.

Liberi etiam præferendi aliis creditoribus in rebus ad ſe pertinentibus, & adhuc in bonis parentis extantibus, ut in caſtrenſibus, quaſi-caſtrenſibus, adventitiis, Carpz. *d. C. 28. def. 14.* Chemnit. *d. diſp. n. 22.* Idem in munuſculis a compatribus & commatribus baptizatis oblatis, & adhuc extantibus. Chemnitz. *d. l. th. 23.*

PARENTIS EXTANTIBUS) De bonis extantibus res dubio caret, ſed quid ſi pater bona liberorum adventitia diſtraxerit? Et Reſp. quo caſu filio competit revocatio & rei vindicatio, eo caſu etiam ipſi prælatio præ omnibus illis creditoribus competit, cui pater rem vendiderit, Acoſta *Reg. 1. Ampl. 10. n. 1. ſeqq.*

IN MUNUSCULIS) Spectant hæc munuſcula ad peculium adventitium extraordinarium, quia non parentibus, ſed liberis pleno jure donantur. Vid. *not. ad Jus Eccleſ. l. 2. cap. 1. membr. 2. §. XIII.* ſine dubio itaque hæc munera extantia a liberis vindicari poſſunt; ſed quid ſi a Parentibus conſumpta? Hypotheca tacita hoc caſu liberis com-

Digitized by Google

competit, ex tempore baptiſmi, uti pronunciatum *in Fac. d. 17. Oct. 1677. Vid. Jus Eccleſ. d. l. verb. Tacita hypotheca.*

§. IX.

Coheres ſocius præfertur in rei communis parte ſua alterius ſocii creditoribus. Richter. *Diſput. 3. membr. 1. in fin.* Beuther. *Lib. 1. qu. 52.* Item debitor in pignore dato, ſi debitum offerat. Chemnit. *d. l. th. 27.* Idem in domino rei furtivæ. *L. 3. & 32. ff. de R. V. L. 2. C. de Furt.*

ALTERIUS SOCII) Socius enim rem communem obligare non poteſt, niſi pro parte ſua, per *L. 2. C. commun. divid.*, Ergo hic caſus ille ſupponendus, ubi creditores cum uno ſociorum tantum contraxerunt, qui, ut nomine ſocietatis contraheret, mandatum non habuit; alioqui ſi vel ita conventum, ut unus ſociorum tanquam inſtitor reliquorum nomine contraheret, vel alias creditum in ſocietatis utilitatem converſum, ſocius creditoribus præferri non poſſet. *Vid. Diſp.* Dn. Lauterbach. *de Obligat. Socior. ex convent. cum extran. inita.* Hector Felicius *Tr. de Societ. c. 30. n. 9. ſeqq.*

OFFERAT) De hoc caſu vid. *Not. ſup. ad §. 5. verſ. & mandans.* Cum vero ſæpius per Judæos, aliosque proxenetas, durch Mäckler / res oppignorari ſoleant, Qu. Si quis Judæo catenam auream alibi clam oppignorandam dederit pro 60. thlr. ille vero pro 90. oppignoret, & 30. thlr. ſibi retineat, an poſtea dominus catenæ, ſi eam redimere velit, 60. an 90. reddere debeat? Et puto 90. quia ſibi imputet, quod non fideliorem elegerit proxenetam. Carpz. *P. 2. D. 130. n. 9.*

§. X.

Principi & fiſco dominium competit in rebus caducis intra 4. annos, ſi nunciatæ ſint, aut intra 10. vel

Digitized by Google

vel 20. annos, ſi non ſint nunciatæ, *L. 18. ff. de uſuc.* Struv. *ad tit. de jure fiſci, th. 36.* ita etiam in rebus commiſſis extantibus intra quinquennium: *L. 2. C. de Vectigal & commiſſ.* poſtea enim ceſſat pœna commiſſi.

FISCUS) Alia ratio eſt, ſi fiſcus ex jure dominii concurrat: Alia ratio, ſi ex contractu.

§. XI.

In collectis & contributionibus ordinariis & extraordininariis, Carpz. *d. C. 28. def. 48. & lib. 4. reſp. 77.* competit fiſco ex jure dominii ſupereminentis & neceſſitatis publicæ prioritas, ſicut hoc in noſtro Electoratu in Receſſ. provincialibus conſtitutum, in ſpecie vero in *Receſſ. de Anno* 1653. §. 29. ita cautum: Die *Contributions-Reſta* gehen allen *Credit*oren/ auch denen/ ſo ein *Jus Separationis* zu haben vermeinen/ vor/ welches auch inſonderheit *in Executione* und bey den *Diſtributionibus* in acht genommen werden muß: Wann ſchon aus Unwiſſenheit unſerer Verordnung an fremden Orten ein anders erkant werden möchte. Diſtinctione tamen hic opus, aut enim fiſcus concurrit cum domino in re non collectabili, ex qua nulla contributio debetur, v. g. re mobili, & tunc dominus præfertur, quia fiſcus non habet hanc facultatem in rebus alienis, quæ debito-

K ribus

Digitized by Google

ribus non competunt, & ex quibus collectæ non debentur: aut concurſus fit in re collectabili, id eſt, ex qua collecta debetur, & tunc fiſcus præfertur domino, quia dominus ipſe, ſi poſſediſſet, debuiſſet ſolvere collectas. Simile jus habere videntur metata, quia ſunt jura Principis, & onera realia; *L. 3. §. 14. & L. fin. §. pen. ff. de muner.* licet nonnulli perſonale privilegium tantum tribuant.

EXTRAORDINARIIS) Quæ ſcil. a Magiſtratu ex neceſſitate publ. improviſa indicuntur, e. g. Türckenſteuer/ Fräuleinſteuer/ Kopff-Geld/ & hujus generis alia. Quorſum etiam referre ſolent collectas & præſtationes inferioribus Magiſtratibus debitas, quod admitto, ſi vel a Principe jus exigendi habeant, vel neceſſitas civitatis id exegerit, e. g. Brücken-Geld/ Brunnen-Geld.

COMPETIT FISCO) Ita ſcil. ut hæc hypotheca fiſcalis ratione collectarum univerſa debitoris bona afficiat, per *L. 1. C. in quib. cauſ. pign.* Conf. Carpz. *L. 4. Reſp. 77.* Richt. *de Prior. Credit. cap. 2. memb. 5. n. 18.*

ELECTORATU) Idem privilegium hoc competit denen Schöſſern/ ita ut cum tributis ſub eodem numero locentur. Pariter hoc extenſum ad illa quoque debita, quæ Ser. Electori ex contractu debentur, deſtinata tamen ad neceſſitates Principis particulares die *Chatoul*-Gelder/ ſicut hoc in ſpecie per Reſcripta Electoralia confirmatum, ſub dato Halberſtadt den 28. Aug. 1672. ſub dato Potſtam den 14. April. 1673. & d. 13. Maji 1674. Et ſecundum hæc Reſcripta pronunciatum in Facultate noſtra d. 23. Febr. 1680. Idem hoc privilegium nuper d. 8. Januar. Anno 1683. per Reſcriptum Electorale extenſum ad illos debitores, qui ex adminiſtratione rei monetariæ Principi ſunt obligati: Wann uns diejenigen/ welchen Wir unſer Müntz *Regal* anver-

trauet/

Digitized by Google

trauet/etwas ſchuldig verblieben/ daß alsdann unſerm *Fiſco ratione* derſelben Schulden gleich denen Holtz- und *Contribution*-Geldern *primus locus in Concurſibus Creditorum* zu *aſſigni*ren. Jure Saxonico tributa poſtponuntur expenſis funebribus & mercedibus famulorum, quod jus ſecutus videtur Chemnit. *in Diſſ. th. 82.* Verum male, ſi concurſus fiat in ipſa re collectabili, quod enim ob publ. neceſſitatem immediate ex ipſa re debetur, non poteſt poſtponi talibus creditoribus, qui quidem privato privilegio muniti, ſed ſi ipſi poſſediſſent, eadem onera præſtare debuiſſent; ob quam cauſam contributio merito præfertur juri ſeparationis, per *cit. Rec. Marchicum*, ut ita pronunciatum nach Sagan d. 17. Novembr. Anno 1668. quod ſi juri ſeparationis præferuntur, etiam præferri debent expenſis funeris & mercedibus famulorum, quia hæ poſtponuntur juri ſeparationis.

NON DEBENTUR) Separandi hic ſunt caſus, an collectæ in concurſu petantur illæ, quæ debentur ex ipſius debitoris prædiis, & hic obtinet prælatio; an vero non ex prædiis debitoris, debitor tamen eas aliunde recepit tanquam collectarum exactor, & in ſuos uſus convertit. Hoc caſu collectæ prælatione non gaudent, cum non amplius habeant rationem collectarum, nec cohæreant fundo, ſed perſona debitoris hoc caſu ſit ſaltem obſtricta. Quapropter fiſcus nil aliud juris hoc caſu habebit, quam hypothecam tacitam, quæ Reipubl. competit in bonis adminiſtratoris. Rodriquez. *de Concurſu Creditor. p. 1. art. 5. n. 1. & ſeq.*

§. XII.

In ſecunda claſſe collocantur illi, qui jura ſeparationis uti volunt, nam creditores defuncti debitoris petere poſſunt ſeparationem bonorum, quando heredis bona propriis ipſius creditoribus non ſuffi-



Digitized by Google

ciunt, *L.*1. §.1. *&t. t. ff. de Separat.* ſed intra quinquennium. *d. L.*1. §.13. Quod tamen quinquennium non obſervatur in hypothecariis defuncti creditoribus, nec in hoc Electoratu, neque in Pomerania attenditur. Imo in noſtro Electoratu per obſervantiam introductum, ut illi, qui gaudent jure ſeparationis, licet ſint nudi chirographarii, præferantur heredis creditoribus, etiam conſenſum a domino feudi habentibus. Vid. *Comment. ad L.* 1. *n.* 23. *ff. de Separat.* Quod tamen Jure Communi aliter ſe habet, ubi ſemper potior ratio illius creditoris eſt, qui conſenſu munitur. Carpz. *P.* 1. *Dec.* 73.

IN HYPOTHECARIIS) Hypotheca enim a patre conſtituta, uti ſua natura prioritatem tribuit, præ hypothecis filii, ita ejus effectus quinquennio non exſpirat, cum nec opus habeat jure ſeparationis. Carpz. *L.4.R.18.n.3.* Certo tamen caſu etiam hypothecariis ſeparatio neceſſaria, utpote, ſi concurrant cum creditoribus filii privilegiatis ſeu talibus, qui prælationem habent, ut impenſæ funeris, mercedes famulorum & dos uxoris filii.

IN POMERANIA) Idem quoque receptum in Ducatu Megapolitano, ſcilicet quod nulla præſcriptio beneficio ſeparationis opponi debeat per ſpecial. Conſtit. de dato Schwerin *d. 29. Jan. Anno 1647.* Imo praxi Pomeranica receptum, ut in concurſu beneficium ſeparationis tribuatur creditoribus paternis, etiam non petentibus; Mev. *P. 1. D. 254. & p. 3. D. 331. num. 3.* Licet Jure Civili petitio creditori neceſſaria videatur: *L. 1. §. 1. ibi: deſiderantes ſeparationem. ff. h. t.* unde ſi aliqui ſeparationem tantum petant, his ſolis prodeſt. *d. L. 1. §. 16.* Pro praxi tamen hæc ratio militat, quod ea, quæ juris ſunt, judex tenea-

Digitized by Google

teneatur ſupplere, & quod per clauſulam ſalutarem, libellis apponi ſolitam, ſeparatio ſemper tacite cenſeatur petita.

CONSENSUM) Per Rec. Provinc. Marchiæ *de Anno 1653.* poteſtas libere feudum obligandi vaſallis adempta, ita, ut non aliter, niſi conſenſu domini accedente, ſubſiſtat feudi obligatio, non puto, poſt illud tempus chirographarios paternos conſenſuatis filii creditoribus eſſe præferendos. Quod enim debitum ex feudo plane non ſolvendum, illud nec præferri poteſt debito per conſenſum in feudo legitime radicato. In Pomerania tamen & Ducatu Megapol. adhuc obtinere puto, quod de Marchia dicit Autor, quia ibi feuda æri alieno obnoxia.

§. XIII.

Quaſi jus ſeparationis competit illis venditoribus, qui hypothecam ſibi in re vendita reſervarunt ante traditionem, vel in ipſa traditione; nam illi præferuntur omnibus emtoris creditoribus, licet hypothecam generalem in emtoris bonis antea conſecuti ſint. Carpz. *d. Conſt.* 28. *d.* 20. Mev. *p.* 6. *dec.* 193. Idem in Jure Saxon. non tantum obtinet, ſed etiam ex præcedenti caſu colligitur, ſi hypothecam conſecutus ſim in prædio, antequam eum fundum emerit debitor, quod aliis creditoribus ſim præferendus, quia res cum onere tranſit ad debitorem. *L.* 67. *ff. de contrah. emt.* Carpz. *d. l. def.* 22.

QUASI JUS SEPARATIONIS) Ad quaſi ſeparationem pertinet etiam caſus, ſi quis in diverſis locis tabernas habeat, ſive diſtinctas negotiationes exerceat, ubi ille creditor, qui ad tabernam Lipſienſem credidit, in mercibus ibi repertis præferendus eſt illi, qui ad tabernam Francofurtenſem creditit. Vid. Aut. *ad L.* 5. §. 15. *ff. de*

 *tribut.*

*tribut. act. n. 2.* Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 1. art. 10. n. 56.* Salgad. *in Labyr. cred. p. 2. c. 12. n. 73.* Huc quoque pertinent creditores, qui filio militi crediderunt, qui petere poſſunt ſeparationem peculii caſtrenſis; quo in eo aliis creditoribus, qui filio ante militiam crediderunt, præferantur. *L. 1. §. 9. ff. de Separat.* Richter. *c. 1. n. 81.*

HYPOTHECAM GENERALEM) Hypotheca generalis afficit quidem etiam bona futura; ſed illa, quæ libera ad debitorem pervenerunt, non vero, quæ onere jam tum affecta. Notanter autem hic dicitur; *Si hypotheca ante, vel in ipſa traditione reſervata.* Si tamen traditio jam facta eſt, poſtea hypotheca conſtituta hunc effectum non habere; vid. Carpz. *p. 2. C. 23. D. 17.* ſubſiſtit tamen tali caſu hypotheca a tempore conventionis, ita ut hypothecis poſterioribus præferatur. (Quod vero Carpz. *d. l.* habet de confirmatione judiciali deficiente, hoc ad forum Saxonicum pertinet, ubi non valet aliter hypotheca in immobilibus.) Hypotheca ergo generalis anterior hic prævalet, quia res ad debitorem ſine onere tranſiit.

## §. XIV.

Poſtea ſequuntur expenſæ funebres, quæ omne creditum præcedunt, *L. pen. ff. de relig. & ſumpt. fun.* ſi ſc. pro dignitate & opibus debitoris ex æquo & bono expenſæ. *L. 14. §. 16. ff. d. t.* Et licet ipſe debitor non ſit funeratus, ſed talis perſona, ad quam funerandam tenebatur debitor. *L. Quæſitum. 17. ff. de rebus aut. jud poſſid.* Carpz. *d. l. def.* 40. Huc pertinent etiam veſtes lugubres moderatæ. Carpz. *d. l. def.* 41. Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. l. 2. caſu* 127. *n.* 12. Chemnit. *th.* 47. Et licet defunctus immoderatas



Digitized by Google

tas expenſas ordinaverit, invalida tamen hæc eſt ejus voluntas propter præjudicium creditorum. Carpz. *def.* 42. Viduis etiam veſtimenta lugubria deberi ex more hujus provinciæ, tradit Chemnit. *th.* 48. Quæ in convivium impenſa, nullam merentur prærogativam, Chemnit. *d. l. th.* 52. & 54. Expenſæ autem ſi exiguæ & probabiles, etiam juramento creditoris probari poſſunt. Gloſſ. *in L. fin. Cod. de jure delib. in §. In comparatione.* 9. *in verbo: approbaverit.*

EXPENSÆ FUNEBRES) Prælatio illa, quæ expenſis funeris hic tributa, tantum pertinet ad bona allodialia, aliud ſi ſuper feudo concurſus ſit motus, expenſæ enim hæ ad onera feudi non pertinent, nec a ſucceſſore feudali reſtituendæ; Carpz. *P.* 2. *C.* 46. *Def.* 36. Richter *c.* 2. *Membr.* 4. *n.* 15. Brunneman. *ad L. penult. ff. de relig.* quod ſi tamen bona allodialia non adſint, tunc demum in ſubſidium ex feudo præſtandæ: Carpz. *d. l.* Mev. *P.* 2. *Dec.* 124. & eo caſu hoc privilegio gauderent.

EX ÆQUO ET BONO EXPENSÆ) Conſultum eſt hoc caſu, ſi quis curam funeris obærati ſuſcipere velit, ut expenſas, quas putat neceſſarias, (1.) conſignet, (2.) hanc conſignationem ad judicem mittat, & ab ipſo moderationem petat.

TENEBATUR DEBITOR) Carpz. *loco hic allegat. in fin.* concedit, Jure Civ. ſententiam Auctoris defendi poſſe, etiam ſumptus in funus conjugis, vel liberorum impenſos huc referri debere. (Quod ego quidem in funere conjugis tunc admitto, ſi indotata fuerit, uxor enim ex dote ſepelienda. *L.* 22. *ff. de religioſ.*) Jure Saxon. tamen impenſas, in ſolius debitoris funus factas, prælationem

Digitized by Google

tionem mereri, ſtatuit idem Carpzov. *d. l.* ubi reliquas funeris impenſas inter chirographarios refert.

CONVIVIUM) Refert tamen & convivium ad ſumptus funebres Richter. *c. 2. membr. 4. num. 12.* Et puto hic habendam rationem loci, ubi ſepultus eſt defunctus debitor; ſi enim in civitate convivii non habenda ratio, cum ibi non deſint exequiatores; ſi in pago, quia ibi exequiatores aliunde advocandi, neceſsitas ipſa exigit, ut quodam convivio excipiantur, hoc vero ſi modicum fuerit, ad expenſas funeris recte referri poterit.

PROBARI) Regulariter deſignandæ & probandæ ſunt expenſæ, & quidem ſpecifice, ad quod unumquodque ſit impenſum. Mev. *P. 2. D. 223.* Sufficit tamen, eſſe has expenſas conjectura probatas, adeo, ut ſi modicæ non appareant, juramento impendentis credatur. Berlich. *P. 1. Concl. 64. n. 92. ſeqq.*

§. XV.

Exemplo impenſarum funebrium, etiam hypothecis præferuntur expenſæ, in curam ægroti ultimo in morbo factæ, *arg. L. 3. C. de relig. & L. 4. C. de pet. hered.* v. gr. ſalaria medicorum, chirurgorum, credita pharmacopolarum. Carpz. *d. Conſt. 28. def. 43. & ſeqq.* Berl. *p. 1. Concl. 44. n. 94. & quos retuli ad d. L. 3.*

ULTIMUM MORBUM) Hoc communiter receptum; quamvis ſolida ratio non adſit; æqualis enim neceſſitas adeſſet in medicamentis ad priores morbos profligandos creditis. Cæterum ita ſervatur, ut ſi medicamenta in ultimum morbum non impenſa, ad perſonaliter privilegiatos ablegetur pharmacopola. Carpz. *cit. loc.*

§. XVI.

Has expenſas ſequuntur mercedes famulorum & famularum, quæ ante omnia cætera credita ſolvi debent,

Digitized by Google

debent, non quidem Jure Civili, ſed Jure Saxonico, quo & funeralibus expenſis præferuntur, maxime tamen Jure Marchico, *in Conſtit. Elector. Brandenb. tit.* **Von Erbgefällen unter Ehe-Leuten.** quod de famulis domeſticis intelligunt Hartm. Piſtor. *p. 1. qu. 8. in fin.* quamvis autem de iis ſaltem intelligant, qui mortis vel moti concurſus tempore, in domo vel convictu debitoris fuerunt, ut vult Dn. Richter. *de priv. credit. Diſp. 4. memb. 3. §. Ut miniſtri.* forte quia alius miniſter, qui jam ex domo debitoris diſceſſit, de mercede fidem habuiſſe videtur. Nihilominus, quia ratio hæc particularis, dum ſæpius ex ſervitio diſcedunt, & nihil mercedis nomine accipere poſſunt, ideoque in noſtris judiciis hoc requiſitum non attenditur. Reſtringunt etiam hoc privilegium ad eos famulos, qui in ædibus & convictu debitoris operas præſtiterunt, & excludunt alios, qui certa mercede extra ædes laborarunt debitoris. Carpz. *d. l. def. 25.* Putarem tamen, procuratores fundorum ruſticorum, **die Meyer- oder Hoffemeiſter/** quia in domo debitoris commorantur, licet non utantur convictu debitoris, tamen, cum ex deputatis & ipſis fructibus vivant, & agriculturam curent, ipſis deberi ſalaria ante cæteros creditores, & ſi nulla certa merces conſtituta, ſi tamen certum ſit, famulum non voluiſſe pro ſolo victu ſervire, ex bono & æquo,

pro more loci ſalarium determinandum. Idem privilegium habent pædagogi. Carpz. *d. l. def.* 26. Idem debetur liberis, ſi ipſis pro ſervitiis certa merces promiſſa, Carpz. *d. l. def.* 32. & competit ſartori conducto in domini ædibus degenti. Richter. *d. l.*

MORTIS) Si Jus Saxon. inſpiciamus, licet ejus interpretes hoc requiſitum ad unum omnes urgeant, vix tamen ex aliquo textu hoc evidenter probari poteſt. Nam textus, quem Carpz. *P. 1. C. 28. D. 25. n. 3.* adducit *ex Ordin. Proceſſ. Sax. t. 41.* §. 5. nihil de eo habet, quod tempore mortis debuerit eſſe in convictu, ſed ſufficit, quod in eo fuerit. Ita enim ſe verba habent: Liedlohn iſt/ was man denen Perſonen/ welche *Domeſtici*, und weſentlich bey einem in ſeiner Behauſung und in ſeinem Brod zu ſeyn pflegen/ ſchuldig iſt. Nec aliud evincit textus in Landrecht *l. 1. art. 22.* §. Von Erbe. ubi dicitur: man ſoll erſtlich dem Geſinde geben ihren Lohn/ ſo viel ihm gebühret/ biß an den Tag/ da ihr Herr ſtarb. Hic enim textus nihil aliud involvit, quam hoc, quod illa tantum merces prælatione gaudeat, quam vivo debitore ſibi paravit famulus. Ex ſola ergo *Gloſſ. Germ. d. art. 22.* hæc Saxonum ſententia orta, quæ dicit, Sie müſſen zu der Zeit noch am Dienſte unter dem Geſinde ſeyn. Sed hoc ſine ratione. Cur enim talis famulus poſtponendus, qui æque ſervitia præſtitit, ſed ob moram domini mercedem conſequi non potuit.

CONVICTU) Ergo, qui operas diurnas locavit, ein Taglöhner/ hoc privilegio non gaudet, quod iterum ſine ſolida ratione ita obſervatur, horum enim merces æque favorabilis, & per eorum operas æque debitoris utilitas promovetur; nec convictus quicquam præcipui tribuere poteſt.

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII.

Stipulando tamen uſuras, videntur famuli renunciare ſuo privilegio, *L.* 7. §. 2. *ff. Depoſ. L.* 24. §. 2. *ff. de Reb. aut. Jud. poſſid.* Carpzov. *P.* 1. *Conſt.* 28. *def.* 33. & quos retuli ad *d. L.* 7. Sed iſta ſententia mihi videtur iniqua, nam (1.) iſti textus præſupponunt novationem per ſtipulationem uſurarum inductam, quod hodie ſecus, cum novatio non amplius præſumatur, ſi non exprimatur. *L. fin. C. de Novat.* (2.) Famuli ignorantia Juris ſubtilioris, & ex ſimplicitate errant, qui procul dubio, ſi ſcirent hanc ſubtilitatem, non expoſuiſſent tanto periculo ſortem, amore uſurarum. (3.) Ex hoc contractu locationis ob moram alias debentur uſuræ, ſicut nec documentum, der Beſtallungs-Brieff/ hoc privilegium tollit. Dn. Richter. *diſp.* 4. *m.* 3. §. *Ut autem hæc aſſertio procedat &c.* Quantitatem autem mercedis, ſi exigua ſit, juramento poteſt probare. Carpz. *d. l. def.* 24. *& ſeqq.*

PROBARE) Modo tamen prius alter probaverit, ſe fuiſſe in miniſterio debitoris; Carpz. *def.* 35. Würde Er ſchweren/ daß Er noch ſo viel Lohn zu fordern hätte.

§. XIIX.

Sequuntur hic canones & penſiones, quæ Eccleſiis, & earum miniſtris, nec non ſcholarum præceptoribus debentur, nec non decimæ, & in genere ſalaria perſonarum ſacrarum & ſcholaſticarum; ſed

aliud in contractu mutui ab Eccleſia contracti, nam hoc mutuum debitum ſolvitur Eccleſiæ pro ratione temporis, ſi hypotheca expreſſa conſtituta Eccleſiæ, vel ſi mutuo acceperit ipſe Patronus, nam hujus bona, ſi adminiſtravit bona Eccleſiæ, velut œconomus, tacite obligata ſunt Eccleſiæ, ab eo tempore, quo Patronus Eccleſiæ factus eſt. *Rec. de Anno* 1646. *& Rec.* 1653. §. 7. Verba *dicti* §. 7. ita ſe habent: Sollen die Einkünffte der Kirchen / ſo *ex antiquis Legatis*, Vermachungen und Stifftungen herrühren / und auff den Häuſern / oder andern liegenden Gründen hafften / *tanquam Onera realia*, allen andern *Debitis minus privilegiatis* vorgezogen werden. In den übrigen Poſten / ſo *Debita chirographaria* ſeyn / und *ex Cauſa Mutui* herrühren / können zwar die Kirchen keines *Privilegii Prælationis* ſich anmaſſen / ſondern müſſen mit andern *Creditoribus*, ſo *paria Jura* haben / *in tributum* gehen; Daferne aber der *Patronus* das *Debitum contrahiret* / ſoll den *Eccleſiis* nicht weniger *in Bonis Patroni*, als den *Pupillis in Tutoris*, *&* *Reipublicæ in Bonis Adminiſtratorum*, *& quidem a tempore*, da der *Debitor Patronus* der Kirchen geworden / *Hypotheca* zuſtehen.

SE-

SEQUUNTUR) Eodem jure cum mercedibus famulorum gaudent impenſæ in culturam agrorum factæ, e. g. Pflüger-Lohn/ utpote quibus creditorum conditio melior facta. Carpz. *P. 1. c. 28. Def. 37.* Eadem ratio in frumento ſementario, Saat-Korn. Carpz. *def. 35.* Müller. *Reſol. March. 118.* Quod reſtringendum puto ad frumentum ſementarium ultimi anni, quia ex hoc revera utilitas ad creditores pervenit. Idem & aſſerunt de illo, qui papulum animalibus debitoris præbuit, vel paſcua hoc nomine locavit. *arg. L. 6. pr. ibi: cibaria. ff. qui pot. in pign.* (Ex quo textu obiter obſervari ſolet prælatio des Koſt-Geldes.) Richter. *c. 6. memb. 2. n. 5.* Salgad. *in Labyr. cred. p. 1. c. 24. n. 101.*

DEBENTUR) Debita talia in ipſo fundo radicata cenſentur, adeo ut hypotheca hoc nomine Miniſtris Eccleſiæ competat, non tantum in allodio, ſed etiam in feudo. Mev. *P. 2. Dec. 259.*

ADMINISTRAVIT) Hoc in Receſſu Marchico, cujus verba poſtmodùm ſequuntur, non præciſe exigitur, inde potius Eccleſiæ ſimpliciter hypotheca in bonis Patroni concedenda, etiamſi actu non adminiſtrarit; incumbit enim ipſi vi juris patronatus, ut videat, ne bona Eccleſiæ diſſipentur. Brunnem. *de Jure Eccleſ. l. 2. c. 8. n. 24.*

PRÆLATIONIS) Eccleſia in dubio utitur jure communi, Mev. *P. 7. D. 299. n. 4.* Speciale tamen in Electoratu Saxon. eſt, quod ibi Eccleſia ex credito jus tacitæ hypothecæ habeat indiſtincte. Carpz. *P. 1. C. 28. D. 116. n. 3.* Vid. *Not. ad Jus Eccleſ. l. 2. c. 14. §. 5. p. 535.* Conf. *infra §. 60.*

## §. XIX.

Succedunt, quæ magiſtratibus debentur ex agris, v. g. Pacht-Korn/ ex jurisdictione, Zinß-Geld/ Rauch-Huhn/ vel ob ſervitia non præſtita. *Receſſ. Prov. de Anno 1653. ibi.* die Gerichts-

Dienſt-und Pachtherren haben *paria Jura* und gehen *in tributum.* Huc pertinent omnia onera ordinaria, quæ ſubditi Magiſtratibus debent, als Bier-und Tranckſteuer/ Erb-Zinſe/ Frohngeld/ Gefälle. Richter. *de Privil. Cred. Diſp. 5. m. 5.*

RAUCH-HUHN) Hæc gallina eſt indicium meri imperii, adeo, ut, ex quo fundo Nobilis gallinam hanc exigit, in dubio merum imperium habere præſumatur. Vid. *Diſſ. noſtra de Jurisdict. circumſepta, c. 6. quæ exſtat Vol. 1. Diſſp.*

§. XX.

Sequuntur annui reditus, laudemia, vel cenſus, quæ ſingulis annis ſolvenda privatis, de quibus Richt. *d. Diſp. 5. cap. 2. memb. 6.* Carpz. *P. 1. C. 28. D. 54.*

REDITUS) Nihil intereſſe dicit Carpz. *P. 1. C. 28. D. 55.* an annui reditus ſint redimibiles, an irredimibiles, unablößlich: Et eos indiſtincte præferri hypothecariis anterioribus ſtatuit. Verum utut id forte de Jure Sax. admitti poſſit; nulla tamen ratio Juris communis adeſt, quare tales reditus per contractum conſtituti, præferri debeant creditoribus, hypothecam jam in fundo radicatam habentibus. Color enim ita quæri poſſet, ut debitori obærato unusquisque cederet pecuniam, conſtitutis hoc nomine annuis reditibus. Si diceres, annui reditus per contractum empti venditi conſtituuntur: regero: atqui ſi hypotheca in re vendita antea conſtituta, emptor creditore potior non eſt. Cur ergo idem obtineret in annuis reditibus.

§. XXI.

Digitized by Google

## §. XXI.

Sequuntur pecuniæ hereditariæ, quæ ſunt vel proprie ſic dictæ, quas coheres coheredi ob adjudicata prædia debet; vel improprie ſic dictæ, quas emptor alicujus rei, præſertim prædii, in terminis ſe ſoluturum promiſit, de quibus Carpzov. *d. C.* 28. *def.* 56. *& ſeqq. & lib.* 4. *Reſp.* 15. *& ſeqq.* Sed quod Carpzov. *d.* 60. illud privilegium deneget illi, qui ob non ſolutum pretium in uno termino uſuras accepit, vel qui ſolutionem pretii in termino non petit, vix videtur ſubſiſtere in jure; non illud, quia ob moram ſua natura debentur uſuræ: *L.* 32. *ff. de Uſur.* ſic ergo non eſt converſum debitum in mutuum, nec de jure novo præſumitur novatio, *L. fin. C. de Novat.* ſed debitor eſt in mora, quia tempus interpellat pro homine. *L. Magnam.* 12. *C. de contrah. ſtipulat.*

SOLUTURUM PROMISIT) Venditor ex eo, quod pecunia diſtinctis terminis ſolvatur, non plus juris habere poteſt, quam ſi ſimpliciter vendat, fide habita de pretio, ita vero prælatione non gaudet, de quo infra *th.* 36. Et hoc agnoſcit Carpz. *c. l. Def.* 56. *n.* 4. Richter. *c.* 2. *membr.* 7. *n.* 14. In Electoratu tamen Saxon. hæc ita obſervantur. Sicut & hoc extra Saxoniam obſervare dicit Mev. *P.* 3. *tit.* 1. *art.* 12. *numer.* 18.

VIX VIDETUR SUBSISTERE) In Saxonia Elect. tamen res per nov. *Deciſ.* 7. perſpicue compoſita, ſententiaque Carpzovii approbata, ſalvo tamen intereſſe moræ.

§. XXII.

§. XXII.

Quod attinet ad feuda, ea non poſſunt a vaſallo obligari alicui creditori, niſi conſenſu domini id fiat: quo caſu ipſa ſubſtantia feudi (ſecus in immiſſione in feuda, quæ tantum fructus afficit,) creditori obligata, & hoc caſu tenetur ipſe dominus, ſi ipſi aperiatur feudum, non æque agnatus, ſi ipſi deferatur feudum, niſi & ipſe conſenſerit. Sed ſi, ut conſentiret, interpellatus nolit, cauſas recuſationis allegare tenetur, quæ ſi non relevantes fuerint, poteſt agnatus a judice pro conſentiente haberi, & ſi in feudi utilitatem debitum contractum ſit, fruſtra ſe opponunt agnati. *Receſſ. Prov. de Anno 1653. §. 32.* In denen *Debitis*, ſo hiernechſt *a dato* an *contrahi*ret werden möchten / ſollen die *Feuda* dem *Æri alieno* anderer Geſtalt nicht *ſubject* ſeyn / als wann der *Conſenſus Domini & Agnatorum* dazu kommt / jedoch muß der *Agnatus*, wann etwa zu Anrichtung der Erbauung eines Lehns etwas auffgenommen werden müſte / oder es wären *Debita feudalia*, als zu Vergnügung eines abgefundenen Bruders / Ausſtattung einer Schweſter oder Tochter / Beſtellung des Roßdienſtes / oder was dergleichen Sachen mehr ſeyn möchten / *contrahiret*, ſeinen

*con-*

*Conſens* zu geben ſchuldig ſeyn/ oder er könte auch *cum Cauſæ Cognitione*, inſonderheit/ wann die *proximiores* ſich *accomodiret* / *ex officio pro conſentiente declarirt* werden.

FRUCTUS) Fructus tamen feudi æſtimantur jure allodialium, & hinc ob qualecunque debitum immiſſio in fructus feudi fieri poteſt, modo ex fructibus tantum remaneat, ut ſervitia feudalia vaſallus præſtare poſſit; tantum enim ipſi relinquendum, quantum ad ſervitia neceſſarium. Kohlius *de Servit. Feud. p.1. n.78.* Carpz. *P.2. C.25. D. fin.*

PROXIMIORES) Proximioribus conſentientibus, illorum conſenſu opus non eſt, qui ex his proximioribus deſcendunt, parentum enim conſenſus omnes deſcendentes ſtringit, Struv. *de Feud. cap.14. a.22. num.2.* Receſſus ergo March. de illo caſu intelligendus, ſi adſint remotiores agnati ex aliis lineis, quæ lineæ ex proximioribus agnatis non deſcendunt, his proximiorum conſenſus non obeſt; quia vero horum jus ſuccedendi remotum eſt, facilius pro conſentientibus poſſunt declarari.

ROSS-DIENSTES) Hoc in Saxonia pro debito feudali non habetur, cum ſervitium equeſtre ex fructibus debeatur. Carpz. *P.2. C.46. D.34.* Verum dubito de validitate hujus rationis. Nam & tributa ſunt onera fructuum; interim tamen ex ipſa rei ſubſtantia debentur, & militat pro his ſervitiis neceſſitas publica, ut hinc merito debitis feudalibus annumeranda ſint.

## §. XXIII.

Notandum tamen, creditorem, habentem conſenſum, in feudo non præferri illi, qui hypothecam in allodialibus habet, etſi quoque allodialia ipſi obligata, niſi hypotheca ejus ſit prior. Nam alias cre-



Digitized by Google

ditor conſenſu munitus, non niſi in feudalibus præferentiam habet. In cæteris conſenſus non prodeſt, niſi in allodialibus judicialis ipſi ſit conſtituta hypotheca, quod & in praxi obſervatur. Requiritur autem immediati domini conſenſus. Carpzov. *d. l. def.* 65.

ALLODIALIA) Allodialia cum in plena diſpoſitione vaſalli ſint, 2. *Feud.* 17. §. 1. non opus eſt conſenſu domini ad eorum alienationem; unde ſi hypotheca ſemel valide in allodialibus conſtituta, per ſubſequentem conſenſum domini, alii creditori datum, non poteſt iterum tolli.

JUDICIALIS) Hoc vero tunc præſumitur, quando allodialia una cum feudo expreſſe obligata, tunc enim ſi dominus feudi fuerit ſimul dominus territorii, & generaliter in hypothecam conſenſerit, vel addiderit, als Lehns- und Landes-Herr / ſine dubio talis hypotheca etiam in allodio inſtar publicæ hypothecæ valebit. Pruckm. *Vol.* 1. *Conſ.* 24. *n.* 101. Carpz. *Def.* 64. *n.* 24. *Vid. Diſſ. de Oblig. Feudi Conſenſu Mun. c.* 4. *n.* 35.

## §. XXIV.

In noſtro Electoratu olim conſenſus domini ſufficiebat, nec neceſſarius erat conſenſus agnatorum, Pruckm. *Conſ.* 47. *n.* 160. quod & in creditis, ante annum 1653. contractis, adhuc obtinet, modo non adſint idonea nomina, aut bona in allodio. Sed hodie agnatorum conſenſus requiritur, ſi forte ipſis, non filiis debitoris deferatur feudum, cum filii ſimpliciter teneantur ad æs alienum patris, nec feudum ab allodio ſeparare poſſint. *d.* §. 32. *de anno* 1653.

§. XXV.

Digitized by Google

§. XXV.

Creditis, conſenſu domini munitis, præferri ſolent pecuniæ feudales, ſc. quæ naturam feudi induerunt, & in feudum conceſſæ ſunt, de quo Pruckman. *Vol.2. Conſ.9. per tot.*

PECUNIÆ FEUDALES) Hæ pecuniæ feudales enim pro re aliena reputantur, & hinc conſenſus domini ad illas ſe non extendit: quod ſi tamen hæc pecunia in ſpecie obligata ab illis, qui jus ſuccedendi in ea habent, & ita conſenſus domini adhibeatur, tunc aliud dicendum.

§. XXVI.

Sequitur jam creditum pecuniæ ad conſequendam militiam, i. e. dignitatem in palatio Imperatoris obtinendam, *Auth. Quod obtinet. C. de pignor. & quæ ibi notata*, ſi per publicum inſtrumentum hoc contractum, *Auth. Quo jure. C. qui potiores.* idem ſi quis dederit ad provinciam regendam, item ad equeſtrem dignitatem adipiſcendam, aut Canonicatum, Doctoratum, de qua materia Chemnitius *d. Diſſ. th.* 117. *& ſeqq.*

EQUESTREM DIGNITATEM) Militia illa aulica, de qua hic agitur, conjuncta habebat certa ſalaria annua, ex quibus vivere poterat; unde ſi argumentum ab illis tradendum, non aliis dignitatibus hoc applicandum, quam quæ ſalarium habent annexum, vel certos reditus, e. g. Canonicatus, vel Commendaturæ; ubi vero de ſolo dignitatis titulo quæſtio eſt, prælatio hæc vix locum inveniet, ut in Doctoratu, & nuda equeſtri dignitate.



Digitized by Google

§. XXVII.

Sequitur dos illata reſtituenda, quæ etiam peti poteſt a liberis mortua matre, vel ab ipſa uxore conſtante matrimonio, quia dum debitor ad concurſum provocat, omnino ad inopiam vergiſſe videtur. Ergo tunc locum habet, *per L. ubi adhuc. 29. C. de jure dotium.* & ſic dos illata a priore uxore præfertur doti illatæ a ſecunda uxore. Imo præfertur dos omnibus creditoribus, priorem expreſſam hypothecam habentibus, *per L. Aſſiduis. C. qui potior. in pign.* quæ generaliter loquitur. Et hæc ſententia in Electoratu recepta, Pruckman. *Vol.* 1. *Conſ.* 47. *n.* 119. licet juxta Carpz. in Saxonia præferatur tantum priori hypothecæ tacitæ. Carpz. *P.* 1. *C.* 28. *D.* 65.

PRIORE UXORE) *Vid. Nov. 9. c. 1. Auth. Si quod. C. qui pot. in pign.* Diſtingvendum vero, an res in dotem datæ adhuc exſtent, an non. Priori caſu prioris vel poſterioris dotis ratio non habetur, ſed res jure dominii ad illius uxoris heredes revertitur, quæ illam in dotem dedit. Poſteriori vero caſu dos prior præfertur, modo dotis conſtitutio probetur; paraphernalia tamen prioris uxoris doti poſterioris non præferuntur. Ex qua parte tamen maritus per ſtatuta locorum in dote prioris uxoris ſucceſſit, ex illa parte ceſſat prælatio, quia hæc creditoribus mariti cedit. Vid. Autor *ad d. L. Aſſiduis. num.* 13.

§. XXVIII.

Et hæc prioritas competit etiam augmento dotis, *L.* 8. *& ibi a me notata, C. de Jure dotium.* Sed ſi cum

Digitized by Google

ſi cum fiſco ex contractu agente concurrat, tunc in rebus poſt contractum fiſci quæſitis, fiſcus videtur præferendus, augmento dotis, *per L. 28. ff. de Jur. Fiſci. & Notat. ad L. 9. C. de jur. dot.*

AUGMENTO DOTIS). Sequitur tamen hoc augmentum, tanquam acceſſorium, naturam dotis, *Auth. Quo jure. C. qui pot. in pign. Nov. 97. cap. 3.* idem aſſerunt de illo augmento dotis ſeu lucro in Pomerania recepto, quod vocant alias Verbeſſerung/ quando maritus doti datæ dimidiam ejus partem addit, eamque auget, quod lucrum dotis cum ipſa dote eodem privilegio gaudere, dicit Mev. *p. 2. D. 228.*

POST CONTRACTUM) Jus tamen fiſci ex contractu futura etiam bona afficit, ut hinc in bonis poſtea quæſitis omnibus præferatur. Extra hunc caſum dos & fiſcus æqualia habent privilegia, ut hinc eorum prælatio ex prioritate temporis æſtimanda, *per L. 2. C. de privil. fiſci. & L. 9. C. de jure dot.*

§. XXIX.

Et hoc privilegium competit etiam doti, licet uxor ſciens obærato marito nupſerit, nam nulla eſt ratio, cur uxor ſuo privilegio renunciaverit, & renunciatio non eſt fingenda, licet in foro Saxonico contrarium ſtatuerit Carpz. *dict. C. 28. Def. 48. & L. 4. Reſp. 25.* Sententia illa tamen a Sereniſſ. Electore Saxon. Novis Conſtitutionibus rejecta.

CONSTITUTIONIBUS) *Vid. Deciſ. Elect. 6.* Limitatur hæc ſententia, niſi culpa vel dolo uxoris maritus ad inopiam pervenerit, utpote ſi luxurioſe vixerit uxor, & bona per malam adminiſtrationem diſſipaverit. Phil. *ad Deciſ. Elect. 6. Obſerv. 4. n. 7.*



Digitized by Google

§. XXX.

Non autem competit hoc privilegium, ſi ipſa mulier contraxit. Sed hic diſtinctione opus. Aut ipſa mulier contraxit principaliter ut ſocia mariti, in propriam etiam, non tantum mariti utilitatem, quod tamen in dubio non præſumitur, & tunc, ratione dimidiæ partis, non juvabitur beneficio hoc contra creditorem: & ſic vera eſt ſententia, quod uxor non fruatur beneficio, quæ communem negotiationem cum marito exercuit, Carpzov. *d. C.* 28. *def.* 83. VVeſemb. *P.* 1. *Conſ.* 19. *num.* 63. *& Conſ.* 24. *num.* 13. Gœdd. *Conſ. Marp.* 24. *num.* 154. *V.* 1. Non quæ operas ſuas marito in negotiatione exhibuit, ſed quæ contractum ſpecialem ſocietatis cum marito iniit in propriam utilitatem, & tunc poſtponitur doti creditor pro parte mulieris, niſi in ſolidum ſe obligaverit, & niſi contractus in ſolidum uxori ipſi valde neceſſarius, *per L.* 17. *ff. ad SC. Vellejan.* Sed ſi ſimpliciter cum marito ſe obligaverit, ſalvum eſt ipſi privilegium ſuum, quia in utilitatem mariti contraxiſſe præſumitur, per tradita Berl. *P.* 1. *Dec.* 173. *n.* 15.

OPERAS SUAS) Hinc non ſufficit, ſi uxor in taberna cum marito fuerit, ſi merces ſimul vendiderit, ſi ad nundinas profecta fuerit: has enim operas ex neceſſitate uxor præſtare tenetur marito, ut inde ex eo ſocietas non ſit præſumenda. Neceſſarium ergo eſt, ut de parte lucri vel damni pactum ineant conjuges.

§. XXXI.

§. XXXI.

Nec fruetur privilegio, ſi uxoris culpa maritus ad paupertatem redactus, Carpz. *d. C.* 28. *def.* 85. Et in Camera Elect. Neomarchica non datur privilegium, ſi intra tres menſes non fuerit proteſtata de ſua dote. *Ordin. Neomarch. tit.* 24. Vid. quæ dixi *Centur.* 1. *Deciſ.* 1.

INTRA TRES MENSES) Debet tamen intra 6. ſeptimanas inventarium conficere, & intra ſex alias ſeptimanas voluntatem ſuam declarare, an velit dotem & illatam repetere, an non.

§. XXXII.

Nec competit privilegium doti, quando ejus illatio ſola mariti confeſſione probatur, nam ſuſpecta hæc confeſſio mariti obærati, cum ſoleant obærati in favorem uxorum & præjudicium creditorum quidvis fateri. Quod Carpzov. *Dec.* 59. limitat, (1.) niſi confeſſio ex intervallo, poſt dotem conſtitutam fiat, Carpzov. *def.* 78. ſed hæc non amovet ſuſpicionem, (2.) ſi a tertio dos promiſſa, & huic fiat quietantia. Carpzov. *def.* 79. (3.) Si per unum teſtem omni exceptione majorem, qui adfuit numerationi, probatur, quo caſu tamen melius juramentum ſuppletorium deferri ſolet. (4.) Limitat Carpzov. *d. C.* 28. *def.* 76. niſi cæteri creditores etiam tantum confeſſione debitoris ſeu mariti ſua nomina probent. Sed nemo non videt, diverſam eſſe horum rationem, nam mariti confeſſio reſpectu uxoris

Digitized by Google

uxoris eſt ſuſpecta, quæ ſuſpicio in alia nomina creditorum non cadit. *Vid. Not. ad L. Aſſiduis.* 12. *C. qui potior. in pign.*

FIAT QUIETANTIA) *Vid. Carpz. P. 1. Conſt. 28. Def. 79. e. gr.* Si frater uxoris marito ex feudo dotem ſolverit, tunc probat ſola quietantia mariti, quia fratribus falſam quietantiam dediſſe non præſumitur.

§. XXXIII.

Nec privilegium hoc competit bonis paraphernalibus, i. e. quæ uxor non in dotem dedit, ſed tantum adminiſtrationi mariti de ſuis commiſit; his enim competit nuda hypotheca a tempore commiſſionis & illationis computanda. Carpzov. *d. C.* 28. *def.* 87. *& ſeqq.* Si vero paraphernalia adhuc penes maritum extent, poteſt uxor ea repetere ob dominium in prima claſſe, quod idem eſt in receptitiis; ſed in receptitiis conſumtis, non quidem dotis privilegium, quia Leges tacent, ſed tamen hypotheca competit tacita inter alias hypothecas. Si enim mariti bona obligata ſunt pro adminiſtratione paraphernalium, nulla apparet ratio, cur non etiam receptitiorum bonorum adminiſtratio, ſi ea uxor non commiſerit, obliget, *vid. Not. ad L.* 1. *C. de eo, qui pro tutor.* licet diſſentire videatur Carpz. *P.* 2. *C.* 24. *D.* 4.

NUDA HYPOTHECA) Quia tamen bona in dubio potius præſumuntur paraphernalia, quam dotalia, cauta hic ſit uxor, ut in quietantiis exprimatur, daß ſie dieſes als Ehe-Geld eingebracht. De cætero Jure Saxon. Magdeb. quod & in diſtrictu Cotbuſienſi obſervatur, inter dotalia & pa-

& paraphernalia non diſtingvitur, ſed eundem locum utrisque aſſignari, teſtis eſt Martini *ad Proceſſ. Saxon. tit. 43. §. 2. num. 7.*

OBLIGET) Pertinet huc præcipue caſus, ſi uxor ex pecunia ſua receptitia certam quantitatem mutuo dederit marito, an eapropter tacitam hypothecam habeat, an vero ut chirographaria conſideranda? Et hypothecam ipſi adſcribit Richt. *de Priv. Cred. c. 3. ſect. 1. n. 111.* ex ratione, quod Jure Saxon. maritus adminiſtrationem omnium bonorum uxoris habeat; verum hoc in receptitiis falſum eſt, ipſe Richt. *n. 116.* ſubjicit, in Electoratu Saxon. uxorem ex mutuo ad chirographarios referri, quam ſententiam ego veram puto. Hinc Autor intelligendus de caſu, ubi adminiſtrationem receptitiorum, ſibi non commiſſam, nihilominus ſuſcepit maritus, & ita ex adminiſtratione receptitiorum, debitor uxoris factus, quo caſu ex adminiſtratione uxori naſcitur tacita hypotheca.

## §. XXXIV.

In donatione propter nuptias non habet privilegium hoc mulier, ſed tantum hypothecam. Struv. *Exerc. 26. th. 14.* Richter. *ad Auth. Quod locum. C. de Collat. n. 12.* De dotalitio diſtingvit Mevius *P. 1. Deciſ. 173.* utrum dotalitium conſtituatur in compenſationem dotis, ſic ut vice dotis accipiatur, & dotem abſorbeat; & ſic privilegio dotis fruitur: an vero ſit lucrum ſeparatum a dote, ita, ut dos & dotalitium petatur ſeu melioratio, die Verbeſſerung; & tunc non fruitur eodem privilegio. Carpz. *L. 4. Reſp. 26.* quamvis ſi pacta dotalia conſenſu domini munita, reſpectu omnium relictorum præferatur aliis creditoribus in feudo. Carpz. *P. 3. Dec. 281.*

HYPOTHECAM) Inter creditores ſui temporis habet ordinem, dicitur *in L. 12. §. 2. C. qui pot. in pign.* h. e. hypothecis prioribus tempore poſtponitur, aliis vero præponitur. Jure Saxonico tamen, ſi uxor ſibi de hypotheca expreſſe non proſpexerit, ratione hujus donationis ad chirographarios refertur. Carpz. *d. Conſt. 28. Def. 91. & Dec. 168. num. 16.*

ABSORBEAT) Hoc in Saxonia ordinarie contingit, ut ea propter dotalitium dotis locum ſubintret & eodem prælationis privilegio gaudeat. Carpz. *d. Conſt. 28. Def. 93.*

DOTALITIUM) Hoc caſu revera dotalitium coincidit cum donatione propter nuptias, mit dem Gegen-Vermächtnüß / quæ, uti antea dictum, hypotheca tantum tacita gaudet ſine prælatione. Quod vero de melioratione hic Autor habet, de Jure communi quidem verum, cum de lucro captando hic agat uxor, ubi ei non favent Jura, *per L. 12. §. 2. C. qui pot. in pign.* ex conſvetudine tamen Pomeraniæ receptum, ut hoc lucrum una cum dote omnibus creditoribus præferatur. Mev. *P. 2. D. 228. n. 4.*

§. XXXV.

Hypothecæ jus, quod habet uxor, transmittit in omnes heredes, quia eſt reale privilegium, ſed privilegium, quod hypothecis prioribus præferatur, non transmittit in heredes, ſed in liberos tantum. *Novell. 91. in præf.* Carpz. *P. 1. Conſt. 28. Def. 95. & ſeqq.* Ex quo apparet, nec cedi poſſe hoc jus prælationis extraneo. §. 29. *I. de Action.*

LIBEROS TANTUM) Et quidem ejusdem matrimonii, non diverſi. Berlich. *P. 1. Concl. 65. n. 92.*

EXTRANEO) Solum ergo jus tacitæ hypothecæ extraneo cedi poteſt, quia hoc reale. Ex quo ſequitur, ſi uxor ex feudo dotem repetat, & conſenſu domini munita ſit, tunc quia non ex privilegio dotis, ſed vi hypothecæ

con-

Digitized by Google

conſenſu munitæ præfertur, puto, quod hoc jus ex conſenſu quæſitum pleniſſime cedere poſſit, cum hoc reale ſit, & ad quoscunque heredes tranſitorium.

§. XXXVI.

Nec poteſt uxor privilegio uti, ſi res dotalis in bonis adhuc reperiatur, ſed tenetur illud, quod intulit, qualequale illud ſit, recipere, v. gr. ſi nomen in dotem dedit, quod maritus exigere non potuit, quod ejus culpa non eſt factum deterius, nam eo caſu non poteſt pecuniam numeratam petere, ſed nomen recipere tenetur. Anton. Faber. *in C. l. 5. tit. 7. def. 23.* & Mev. *ad Jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 1. num. 226.*

DETERIUS) Idem etiam in aliis rebus uſu deterioratis ab uxore illatis obtinet, e. g. in lectis, linteis, & alia ſupellectile, pro quibus rebus non pretium repetit, ſed quales adhuc ſunt, recipit. Ratio, quia uſus harum rerum pertinuit ad maritum.

§. XXXVII.

Nec gaudebit mulier privilegio, licet prior ſit, reſpectu ejus, qui ad militiam credidit, *Nov.* 97. & ibi Matth. Steph. *n.* 27. neque reſpectu primipilaris debiti, *L.* 4. *C. in quibus cauſ. pignus tac.* nec gaudet uxor prælatione, ſi privilegio renunciaverit. Sed diſtingvendum, an in gratiam mariti generaliter jurato renunciaverit, & tunc omnibus creditoribus prioribus poſtponitur; an vero in gratiam unius creditoris, & tunc privilegio ſuo uti non poteſt



Digitized by Google

quoad illum creditorem, ſed bene quoad alios, quibus poſtponi non debet. *L. Jubemus.* 21. *C. ad SCt. Vell.* Carpz. *P.* 1. *Dec.* 58. *n.* 3. *& ſeqq.*

PRIMIPILARIS) Quando ſcil. maritus adminiſtrator annonæ publicæ fuit, ubi dos annonæ poſtponitur, cum ipſa ſalus publica exigat, ne quicquam hiſce ſubſidiis decedat.

QUOAD ALIOS) Sc. qui non potius jus habent illo, in cujus gratiam facta renunciatio; unde ſi uxor prima ſit in concurſu, & poſt ſe habeat quinque creditores hypothecarios diverſi temporis, ex quibus tertius in ordine pro ſe habet renunciationem uxoris, tunc tertius in illum locum transfertur, ubi uxori de dote ſatisfieri debebat, & uxor pro illa quantitate, quæ tertio debebatur, in hujus tertii locum iterum tranſit, & ita quarto & quinto adhuc præfertur, non vero primo & ſecundo, niſi quantum dos major eſt tertii credito, eatenus enim competentem locum retinet uxor.

§. XXXVIII.

Cum dote concurrit fiſcus, vid. *ſup.* §. 24. ſed in bonis poſt contractum fiſcalem quæſitis. *L.* 28. *de jur. fiſc.* Carpz. *P.* 1. *C.* 28. *def.* 103. *& L.* 4. *Reſp.* 13. Secus in pœnis, quibus datur hypotheca tacita, poſt latam ſententiam, quæ vero nulli creditori præjudicat, ſed tantum tertio poſſeſſori. *Vid. Not. ad L. un. C. de pœn. fiſc.* Carpz. *d. C.* 28. *def.* 104. Chemnitz. *dict. diſp. th.* 171.

FISCUS) An vero idem jus prælationis competat civitatibus Saxoniæ, mero Imperio gaudentibus, dubium eſt, cum a jure ſuccedendi in bona vacantia, non mox inferendum ad prioritatem, fiſco Jure communi tributam. Sed

Digitized by Google

Sed affirmativa recepta eſt, cum illis civitatibus generatim commoda fiſcalia tribuantur. Vid. Richt. *de privil. credit. c. 2. m. 5. num. 28.*

POSSESSORI) Ita, ut ſi delinquens alienaſſet bona quædam poſt condemnationem, fiſcus a tertio eadem actione hypothecaria repetere poſſit, quod non poſſet, ſi hypothecam non haberet.

## §. XXXIX.

Cum dote paria privilegia habet creditor, qui ad refectionem domus vel fundi pecuniam mutuam dedit, per *L. 5. & 6. C. qui pot. in pign. Nov.* 97. *c.* 3. ita ut ſi mulier prius dotem dederit, quam alter ad refectionem crediderit, illa præferatur *per d. Nov. c.* 3. ut ſic utriusque jus ex tempore æſtimetur, non ex cauſa, Matth. Steph. *ad d. Nov. n.* 24. Franzk. *ad tit. ff. qui potior. in pign. n.* 51. quamvis plures indiſtincte dotem præferant, teſte Berlichio *P.* 1. *Concl.* 65. Carpz. *d. conſt.* 28. *def.* 105. *& ſeqq.* Sed hæc ita, ſi nominatim ad refectionem mutuo data pecunia, & ex ea refectus fundus reperiatur. Carpz. *d. Conſt.* 28. *def.* 106. Eadem ratio navis, ad cujus refectionem pecunia data. Neguzant. *de pignor. p.* 2. *memb.* 4. *n.* 162. *& quæ notata ad L.* 1. *ff. in quibus cauſis pign. tac. contrah.*

NOMINATIM) Hinc ſi eo nomine pecunia mutuo non data, licet poſtea probari poſſit, illam pecuniam in fundi utilitatem eſſe converſam, non locum habebit prælatio. *L. 5. §. 17. ff. de tribut. act.* Berlich. *Concl. 65. n. 133.* Richt. *de Privileg. Credit. cap. 3. ſect. 3. n. 12.*



Digitized by Google

REPERIATUR) Ergo re perempta, in quam impenſæ factæ, ceſſat prælatio, quia tempore concurſus melior creditorum cauſa ita non facta.

§. XL.

Eadem videtur eſſe ratio ejus, qui ad emendam rem pecuniam mutuò dedit, & ex cujus pecunia res empta eſt, *per Nov. 97. c. 5.* ubi refectio & emptio conjungitur. *Vid. Gail. l. 2. O. 12.* Sed verius eſt, pecuniam, qua res empta, non habere hoc privilegium, niſi ſpecialiter, vel generaliter res empta obligata ſit pignori. *L. 17. C. de pign. L. 7. C. qui potior. in pignor. L. 6. C. de rei vindic.* Et quia Reipublicæ intereſt, ut ædes ſartæ tectæ conſerventur, non ut vendantur. Carpz. *d. Conſt.* 28. *def.* 107. Covarr. *lib.* 1. *reſol. C.* 7. *n.* 3. Bachov. *de pign. l.* 1. *c.* 12. *n.* 3. Berlich. *P.* 1. *Concluſ.* 65. *n.* 144. Matthias Stephan. *ad d. Nov.* 97. *n.* 33. Et in *dict. Nov. c.* 3. Imperator nihil novi conſtituit, ſed tantum comparat hunc creditorem cum muliere dotem repetente, & ſic intelligendus in terminis habilibus Bachov. *d. l.* ſed dos tamen venditori præfertur. Guttierez. *lib.* 3. *quæſt. cap.* 99.

PIGNORI) Eo caſu enim res cum onere hypothecæ pervenit ad emptorem, ut ſic, qui pecuniam ſub hoc onere credidit, merito aliis emptoris creditoribus ſit præferendus. Requiritur vero ad hoc, ut ante rem emptam pecunia credatur & hypotheca promittatur. Si enim poſt rem emptam pecuniam mutuo dederit, etiamſi id faciat ad ſolvendum pretium reſiduum, zu Abtragung der rückſtändigen Kauff Terminen / & expreſſe ſibi de hypotheca proſpexerit, non tamen prælatione gau-

Digitized by Google

gaudet, niſi a tempore hypothecæ conſtitutæ, Carpz. *P. 1. C. 28. Def. 108.* & ita Reſponſum in Facult. d. 17. Martii, Anno 1671. nach Hildesheim.

Suppono tamen hic, pecuniam creditam eſſe poſt rem venditam jam tum traditam: per traditionem enim dominus factus eſt emtor, ergo ejus creditoribus, generalem hypothecam habentibus, mox jus quæſitum, antequam alter crederet pecuniam, & ſibi hypothecam quæreret. Aliud eſſet, ſi quidem poſt contractum credita pecunia ad ſolvendum pretium, cum pacto hypothecæ, ſed ante traditionem, hic enim res adhuc in dominio venditoris eſt. *§. 3. in fin. Inſt. de Emt. & Vend.* Res ergo afficitur, antequam fiat emtoris, & ſic creditor pretii omnino præferendus aliis emtoris creditoribus, uti pronunciavimus nach Wißmar den *10. Nov. 1687.*

§. XLI.

Cæterum qui ad emendum prædium mutuo dant, nulla conſtituta hypotheca, perſonali tantum privilegio fruuntur, *per L. 26. & L. 34. ff. de reb. auth. jud. poſſ.* Rauchbar. *P. 1. qu. 5. n. ult.* Hartm. Piſtor. *P. 3. qu. 15. n. 13.* quos refert ac ſequitur Richter. *diſp. 7. ſect. 4. §. Nec tertio obſtant.* Et talis creditor tantum chirographariis creditoribus præfertur. Berl. *P. 1. Concl. 65. n. 152.* Richter. *d. l.*

CHIROGRAPHARIIS) Deficit enim hypotheca expreſſa, nec tacita ullibi fingenda, ubi Lex tacet.

§. XLII.

Sunt tamen perſonæ, quæ, ſi ſua pecunia res emta, jus reale vel hypothecam habent, ut (1.) pupillus, *L. 7. ff. qui pot. in pignor.* & quidem cum privilegio prælationis. Neguzant. *P. 2. memb. 4. n. 163.* Sic miles, ſi ſua pecunia res ab alio emta, non tantum

habet

Digitized by Google

habet hypothecam, ſed & dominium, *per L. Si ut proponis*. 8. *C. de Rei Vind.* Idem in pupillo, ſi ejus pecunia a tutore res empta, Carpz. *d. Conſt*. 28. *def*. 109. *vid. notata ad dict. L*. 8. præſumitur enim tutor nomine pupilli emiſſe, quæ eſt præſumptio juris & de jure. Et idem ergo in Eccleſia, Berlich. *P*. 1. *Concl.* 65. *n*. 148. & in furioſo. Berlich. *d. l. n*. 147. Idem in uxore, cujus pecunia paraphernali (non dotali) maritus rem emit. Berlich. *d. l. n*. 150.

DOMINIUM) Hoc caſu itaque miles, pupillus & Eccleſia in concurſu omnibus creditoribus jure dominii præferuntur. *Vide ſup. Not. ad* §. *6. hujus Cap.*

NON DOTALI) Ratio, quia hæc in plenum dominium mariti tranſiit, ut hinc libere diſponere poſſit; aliud in paraphernalibus, ubi marito tantum competit adminiſtratio, ut hinc etiam jura, quæ de tutoribus & curatoribus diſponunt, hic locum inveniant. Niſi tamen pecunia dotalis volente uxore in prædii comparationem impenſa, quo caſu ipſum prædium fit dotale, per *L. 26. & 52. ff. de Jure Dot.* De eo vero fruſtra quæritur: An uxori in re, ex pecunia dotali comparata, tacita hypotheca competat, cum hanc in omnibus mariti bonis cum jure prælationis habeat, per *L. 12. C. qui pot. in pign.*

## §. XLIII.

Judicialis hypotheca poſterior præfertur hypothecæ privatæ, quia in hac poteſt fieri anticipatio temporis, *L. Scripturas. C. qui pot. in pign.* ſi modo inſtrumentum, a judice confirmatum, contineat hypothecam, nam alias confirmatio judicis ſola non tribuit hypothecam, Richt. *de Priv. Cred. D*. 9. *lim.*

11. &

Digitized by Google

n. & ut debitor ipſe impetraverit, Richt. *d. l. th. 3.* ubi idem dicit, licet debitor promiſerit confirmationem judicialem: ſed apud nos obſervatur, ſi debitor ſe conſenſum Electoralem vel confirmationem ſuperioris petiturum promiſit, quod tunc a creditore conſenſus, ita & confirmatio peti poſſit.

HYPOTHECÆ PRIVATÆ) Non ergo præfertur illis hypothecis, quæ ex ſpeciali Legis proviſione jure prælationis gaudent; unde hypotheca judicialis doti & meliorationibus poſtponenda, ſicut pronunciavimus *d. 14. Maji An. 1669.*

IMPETRAVERIT) Ratio, quia nemo jus reale in bonis meis me invito acquirere poteſt. Nec obſtat, quod hic creditor, confirmationem judicialem inſcio debitore impetrans, ſibi vigilaverit, quod ipſi facere licebat, ex *L. 24. in fin. ff. quæ in fraud. cred.* Vigilantia enim hæc ſe non ulterius extendit, niſi qua ex pacto, cum debitore inito, ipſi jus competit. Carpz. *P. 2. C. 23. D. 23. Add. Diſſ. de Oblig. Feud. Conſ. Mun. c. 3. n. 56. & ſeqq.*

## §. XLIV.

Et hæc hypotheca publica tribuit prioritatem etiam in mobilibus, licet aliud in Jure Saxonico. Et pro confirmatione judicis habetur, ſi inſtrumentum, in quo hypotheca conſtituta, ſolo ſigillo ſuperioris, ſive ſubſcriptione officialium munitum ſit, quia ſigillum publicum (ſecus in privatis) ſine conſenſu Magiſtratus non præſumitur impreſſum. Menoch. *L. 2. præſumt. 57. num. 6.*

SIVE) H. e. ſola ſubſcriptio Officialium ſufficit, vel pro *ſive* hic legendum *ſine*, ita ut ſolum ſigillum ſine ſubſcriptione judicis ſufficiat.



Digitized by Google

§. XLV.

Hypothecæ publicæ æquipollet, & pari privilegio fruitur hypotheca cum ſubſcriptione trium teſtium facta, *per d. L. Scripturas. & ibi notata*, licet Jure Saxon. ſecus. Et hos teſtes maſculos eſſe debere, & integræ fidei, & debere in judicio recognoſcere manum ſuam, aſſerit Guttieretz. *l.* 3. *qu.* 102. *n.* 2. *& ſeqq.*

JURE SAXON. SECUS) Jure Saxon. in immobilibus res expedita, quippe quæ non aliter, niſi in judicio valide obligari poſſunt. Mobilia quod attinet, dicit Carpz. *P.* 2. *C.* 23 *Def.* 9. in Saxonia contra *L.* 11. *C. qui pot. in pign.* receptum eſſe, ut privata hypotheca prior præferatur poſteriori publicæ. Verum ratio *Carpz.* quam habet *d. l. n.* 11. penitus non concludit, cum & Jure communi mobilium obligatio ſine inſinuatione valeat, & tamen hypotheca poſterior publica præferatur, cum hæc fraudibus non ſit obnoxia.

§. XLVI.

Hypothecæ publicæ confert *Salgado* hypothecam in inſtrumento privatim conſtitutam, ſed coram judice recognitam, ita ut talis hypotheca fiat publica ob recognitionem, non quidem in præjudicium creditorum, qui antea contraxerunt, ſed eorum, qui poſtea contraxerunt. Salgad. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 31. *ſeq.* Guttieretz. *l.* 1. *qu.* 125. *n.* 3.

FIAT PUBLICA) Ubi tamen per ſtatuta locorum ad hypothecam immobilium confirmatione judiciali opus eſt, hoc non ſufficeret, hæc enim recognitio in judicio facta, id tantum operatur, ut pari jure cenſeatur publica, ac ſi a teſtibus ſubſcripta eſſet, cum acta judicis faciant fidem etiam ſine teſte, non tamen eapropter pro judicialiter confirmata æſtimari poſſit.

IN

Digitized by Google

IN PRÆJUDICIUM) Non enim debitor hoc nudo recognitionis facto aliorum jura intervertere poteſt: unde concludunt Dd. recognitionem hanc non obeſſe aliis creditoribus, qui pingvius jus habent. Paul. Chriſtin. *Vol. 1. Dec. 146.* Add. Dn. Herold. *in Proc ſſ Cap. 50. n. 58.*

§. XLVII.

Demum ſi bona alicujus debitoris fugitivi, dum creditoribus ſubtrahuntur, mediante legitima manus injectione ſiſtat is, qui res curat arreſtari, quarum alias copia futura non fuiſſet, merito cæteris æquitatis ratione præfertur, quia fecit rem ſalvam eſſe, *arg. L. 6. pr. ff. qui potior. in pignor.* Mev. *de Arreſt. c.* 19. *n.* 24. Licet cæteri ſint anteriores, modo pares alias in jure, v. gr. chirographarius non præfertur hypothecariis. Mev. *d. l. n.* 31.

HYPOTHECARIIS) His enim ſemper ſalva manet actio hypothecaria, contra quemcunque poſſeſſorem, ex quocunque etiam capite rem detineat.

§. XLVIII.

In claſſe tertia collocantur, qui habent ſolam hypothecam ſine privilegio peculiari, quales ſunt: (1.) Quibus hypotheca conventionalis conſtituta. (2.) Quibus tacite debitoris bona obligata. (3.) Qui immiſſi in bona ex judicato, vel inſtrumento paratam executionem habente. (4.) Qui ob contumaciam debitoris in bona ejus ex primo decreto immiſſi. III. CLASSIS.

§. XLIX.

Arreſtum autem in foro Saxon. quidem pignus tribuit, & ita huc pertinet, ſed non apud nos, & Jure communi, nam ex ſolo arreſto ratione temporis nihil



Digitized by Google

prioritatis competit, niſi aliunde prioritas probetur. Petr. Pekius *de jur. ſiſt. c.* 40. *n.* 2. Mev. *de Arreſt. C.*19. *n.*19. Sed Jure communi & Lubecenſi Arreſtum vim tantum habet prorogandæ & aſſecurandæ jurisdictionis, donec judicetur; ut judicium fuga declinari non poſſit. Mev. *d. tr. c.* 15. *n.* 11.

PIGNUS TRIBUIT) Modo legitime impetratum, & poſtea per duas quaterdenas renovatum von 14. Tagen zu 14. Tagen / quod tempus de momento in momentum currit, adeo, ut, ſi poſt 14. dies una hora elapſa, fiat renovatio, non admittatur moræ purgatio. Carpzov. *P. 1. c. 29. D. 10.* Berlich. *P. 1. Concl. 74. n. 122.* Incipit vero jus reale ex arreſto competens, ex tempore primæ petitionis, adeo ut inter plures arreſtantes locus ſit prioritati temporis. Richter. *de Privil. Creditor. cap. 4. ſect. ult. c. 56.*

PROROGANDÆ) Arreſtum enim forum tribuit. Mev. *Part. 1. Dec. 238.*

DECLINARI) Hinc arreſtum remedium tantum eſt ſubſidiarium, tum demum adhibendum, ſi ordinaria juris via locum commode habere nequeat. Mev. *P. 3. Dec. 315.*

§. L.

Ad expreſſam hypothecam refero formulas expreſſæ obligationi bonorum æquipollentes, ut caſus, quos ad tacitam refert Berl. *p.* 1. *Concl.* 67. *n.* 100. *ſeq.* Sc. ſi debitor dederit facultatem creditori in caſu moræ, propria authoritate ingrediendi bona debitoris; item ſi fidejuſſor hoc modo promittat, quod creditor, in mora exiſtente debitore, bona fidejuſſoris apprehendere poſſit, daß er ſich an des Bürgen Güther erholen könne / de quo etiam Hering. *de Fidejuſſ. cap.* 26. *n.* 117. IN-

Digitized by Google

INGREDIENDI) Nam qui concedit jus occupandi bona, ille ſimul bona obligaſſe videtur in ſecuritatem crediti. Cæterum pacti de ingrediendo ſedes eſt in famoſa *L. 3. C. de pignor.* ubi quidem a violentia abſolvitur talis creditor, poſſeſſionem occupans, ſi nemo reſiſtat: juſte tamen non poſſidere dicitur, niſi conſenſus Judicis accedat.

§. LI.

Tacita hypotheca competit

(1.) Liberis in bonis paternis, ratione bonorum adventitiorum. *L. 6. §. fin. C. de bonis, quæ lib.*

(2.) Pupillo in bonis tutorum, vel protutorum, vel adoleſcenti in bonis curatorum, *L. 20. C. de adminiſt. tutor.* non vero competit viduæ in bonis curatorum ad litem. Carpz. *lib. 4. Reſp. 34. in fin.*

(3.) Eccleſiæ, civitati in bonis adminiſtratorum. Carpz. *P. 1. Conſt. 28. d. 115. ſeqq.* Quamvis autem Eccleſiæ in bonis debitorum concedant hypothecam ad exemplum fiſci, tamen id cum aliis refellit Klock. *vol. 2. conſ. 40. n. 117. & ſeqq.* quæ ſententia ex parte approbata in *Rec. Prov. de Ao. 1653. §. 7.* de quo ſupra.

(4.) Locator habet hypothecam in rebus a conductore illatis in prædium urbanum, vel in prædii ruſtici locatione in fructibus, vel rebus ſciente locatore illatis, *L. 4. ff. in quibus cauſ. pignus tacite contr. & L. 5. C. locati.* Et ideo de talibus rebus illatis competit interdictum Salvianum, *L. 1. C. de precar.* ubi excipiuntur eæ res, quæ eo animo non ſunt illatæ, ut perpetuo ibi eſſent, ut res venales, alienæ: non ta-



Digitized by Google

men tollitur hæc hypotheca tacita, ſi ſibi de expreſſa, vel fidejuſſoria proſpexerit creditor, nam renunciatio juris non eſt præſumenda, de qua materia Dn. Richter *de privil. cred. diſp.* 8. §. 5. *Conf. notata ad L.* 7. *ff. in quibus cauſ. pignus tac.*

(5.) Legatarius habet hypothecam in bonis teſtatoris reliquis, non vero in bonis heredis propriis, *L.* 1. *C. comm. de legat. & fideicomm.* Sic & filius ratione legitimæ in teſtamento relictæ habet hypothecam in cæteris bonis. Neguzant. *memb.* 4. *partis* 2. *n.* 164. Carpz. *p.* 3. *dec.* 282. Sed hæc hypotheca in materia prælationis nullum habet effectum, nec tribuit prioritatem, cum legatum non debeatur, niſi omni deducto ære alieno, Carpz. *d. l. d.* 117. & in ſolidum non afficit heredem unum, ſed pro rata tantum.

(6.) Uxor ratione paraphernalium, & donationis propter nuptias in bonis mariti. *L. ult. C. de pactis convent.*

(7.) Fiſcus in bonis, ante contractum fiſcalem a debitore poſſeſſis, ſimplicem tantum hypothecam habet, *per L.* 46. §. 3. *juncta L.* 28. *ff. de jur. fiſci.*

(8.) Cui debentur ex certo prædio reditus, cenſus, decimæ, vel canon; quoties enim convenit de præſtatione ex certo fundo percipienda, ille fundus hypothecatus videtur. *L.* 102. *pr. ff. de leg.* 1. *Vid. notata ad L. fin.* §. *fin. ff. de contrah. emt.* Berlich. *d. Concl.* 67. *n.* 95. Sic etiam is, cui alimenta ex certo

fundo

Digitized by Google

fundo debentur, fundum habet tacite obligatum. *L.2. ff. de Alim. leg.* Berlich. *d.l.n.*92.

(9.) Liberi in bonis vitrici habent hypothecam tacitam, quando eorum mater, nondum redditis rationibus, ad ſecundas nuptias convolavit. *L.2.C. quando mulier tut. offic.* Berlich. *d.l.num.*82. Neguz. *de pign. m.*4. *part.*2.*n.*156. Sic & liberi habent hypothecam in patris & matris bonis, qui nuptias ſecundas contraxerit, ratione lucrorum ex matrimonio anteriori perceptorum, quorum uſumfructum tantum retinet pater, vel mater. *L.6.* §.2. *& L.*8. §. *ult. C. de ſecundis nupt.* Berl. *d.l.n.*102.

(10.) Maritus in bonis ſoceri vel alterius promiſſoris, hypothecam tacitam habet, ob dotem promiſſam, ſolvendam, vel evictam. *L. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act.* Carpz. *p.*1. *deciſ.*57.

BONIS TUTORUM) Quæ hypotheca incipit a tempore delatæ tutelæ. Carpz. *P.2. Conſt.24. def.12.*

AD LITEM) Ratio, quia hi curatores proceſſibus tantum dantur, non bonis; adminiſtratio enim his committi non ſolet. Vid. Richt. *de Priv. Cred. cap.4. ſect.1.n.67.* Quod ſi tamen vidua tali curatori committeret adminiſtrationem, idem omnino, quod de aliis curatoribus, forte dicendum.

PERPETUO) H. e. usque ad finitum tempus locationis; vid. *L.7.* §. *1. ff. in quibus cauſis pign. tac. contr.* merces tamen quod attinet, illæ, licet non in ſpecie, in genere tamen videntur eſſe obligatæ, h. e. ut quidem permiſſum ſit conductori, durante temporis conductionis, merces diſtrahere, quia hoc animo, ut diſtraherentur, illatæ; quod ſi tamen quædam non diſtractæ, vel novæ merces ſurrogatæ, & hæ in taberna reperiantur tempore finitæ locationis, a lo-

Digitized by Google

a locatore retineri poſſunt, donec penſio ſolvatur, & ita intelligenda *L.34. ff. de pign.*

HABET EFFECTUM) Sc. contra creditores paternos, habet tamen effectum contra novos filii creditores, quibus propter jus ſeparationis omnino præferentur; non enim potuit filius æs alienum contrahendo, illis, quibus ex teſtamento paterno quicquam debetur, præjudicare. Vid. Richter. *de Privil. Cred. cap. 1. n. 42. & 48.*

RATA TANTUM) Quod hic ſingulare, ſcil. quod hypotheca pro re legata competens, ſit diviſibilis, ut heres conventus non teneatur, niſi pro ſua rata, *L. 1. C. comm. de Legat.* cum alias poſſeſſor conventus actione hypothecaria, teneatur in ſolidum. *L. 1. & 2. C. Si un. ex plur. hered.* Aliud forte, ſi contra tertium ageretur.

PARAPHERNALIUM) Hypotheca paraphernalium incipit a tempore illationis, arg. *L. ult. ibi: ex quo maritus &c. exegit. C. de pact. conv.* Donationis vero propter nuptias, a tempore nuptiarum. *arg. L. 1. ff. qui pot. in pign.*

SOLVENDAM) Quod ergo Carpz. *P. 2. C. 46. D. 17.* & ex eo Richt. *cap. 5. sect. 1. n. 174.* dicunt, filiabus dotem non deberi, niſi omni ære alieno exſoluto, & hinc filiam, ratione dotis, nulli creditori præferri; hoc intelligendum de dote a patre non promiſſa, nam ſi promiſſa, a die promiſſionis hypotheca competit, ut hinc poſteriorem hypothecam habentibus, omnino præferenda. Vid. præjudicium apud Carpz. *P. 1. Dec. 57. n. 22.*

§. LII.

Quamvis autem nonnulli alias ſpecies tacitæ hypothecæ recenſeant, videntur tamen id ſine textu facere: v. gr. quod dominus habeat hypothecam in bonis furis cæteris, Carpz. *p. 4. Conſt. 39. d. ult.* & etiam contra emptorem rei furtivæ, ea conſumta vel vendita, dant condictionem *ex Lege: Si & me & Titium.*

Digitized by Google

*tium.* 32. *ff. de rebus creditis.* Itidem præter jus, *vid. not. ad d. L.* 32. *n.* 5. Sic etiam hypothecam tacitam dant mihi, ſi fidejuſſerim pro eo, qui res meas obligavit, ex *L.* 5. §. 2. *ff. in quibus cauſ. pign.* Sed ibi ratificatio eſt pignoris expreſſi. Sic præter textum dant hypothecam in caſu *Leg. ult. ff. in quibus cauſis pign.* in transactione, *vid. notata ibidem.* Idem ſi animo novandi facta transactio doloſe. *B*erlich. *d. l. n.* 91. Idem ſtatuunt in tacita antichreſi; *L.* 8. *ff. in quib. cauſ. pign. tac.* Sed expreſſa ibi obligatio & traditio.

TEXTU) Tacita hypotheca idem, quod legalis eſt, ſeu a Lege inducta. Ubi ergo Lex deficit, tacita hypotheca non fingenda.

TRANSACTIONE) Caſus ibi hic eſt: transactum erat ſuper obligatione præcedenti, & pars ſortis, per transactionem promiſſæ, ſoluta, altera pro parte pignus datum, ergo oppignoratio hic adeſt expreſſa, & dubitatum tantum fuit, an facta transactione pro obligatione priori, adhuc pignus dari poſſit? quod ibi affirmatur.

EXPRESSI) Si enim oppignorationem rerum mearum non probarem, non pro eo fidejuberem, qui illas obligavit.

## §. LIII.

In feudis nulla competit hypotheca tacita, niſi pro melioratione & dote, Carpz. *p.* 2. *c.* 25. *d.* 1. *&* 2. de quibus ſupra; & jure conſvetudinario filiabus ratione elocationis, Rauchbar. *p.* 1. *quæſt.* 38. *n.* 44. Richter. *dict. tract. D.* 8. §. 7. quamvis in feudis potius ſit actio in rem ſcripta, quam vera hypothecaria,

uti vult Carpz. *p.* 2. *c.* 46. *def.* 33. Unde ex hac quaſi hypotheca filiæ non præferuntur creditoribus.

TACITA) Hoc Jure communi Feudali expeditum. Vid. Schrad. *de feud. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 24. Sed & idem de Feudis Pomeraniæ aſſerunt, licet hæc alioqui æri alieno obnoxia. Vid. Mev. *P.* 4. *Dec.* 321. Cujus hic effectus, ut ſi feudum in Pomerania ſit venditum, nemo contra emptorem, vi tacitæ hypothecæ, experiri poſſit. Moribus tamen eo deventum, ut, quodcunque debitum pro onere feudali reputatur, illius nomine competat tacita hypotheca. Struv. *de Feud. Cap.* 14. *Theſ.* 27. *n.* 2.

## §. LIV.

Judicialiter immiſſi creditores conſequuntur pignus judiciale, ſi modo immiſſio facta vel ad executionem ſententiæ, vel ex inſtrumento recognito, & quod paratam habet executionem, vel ex Reſcripto Principis, præcedente cauſæ cognitione. Chemnitz. *d. D. th.* 237. *& ſeqq.* Et requiritur, ut immiſſio fiat realiter, nam ſolum decretum de immittendo non tribuit pignus. *arg. L.* 26. §. 1. *ff. de pign. act. & ibi notata.* Carpz. *c.* 28. *d.* 139. Niſi (1.) Executio decreti per violentiam debitoris impediatur: Carpz. *p.* 1. *dec.* 63. aut niſi ſponte debitor, decreto parens, poſſeſſionem ceſſerit: Carpz. *d. Conſt.* 28. *def.* 140. aut niſi mora judicis impediatur. *L.* 12. §. *ult. & ibi not. ff. de reb. auth. jud. poſſid.* Quamvis autem huic pignori judiciali prioritatem præ aliis hypothecis privatis tribuat Dn. Richter. *d. tr. diſp.* 10. *ſect.* 3. §. *Immiſſio ita realiter & rite facta &c.* & hæc ſententia ſit probabilis;

Digitized by Google

babilis; in Camera Brand. tamen eam non habet prioritatem, quam habent pignora publica, ubi conventio creditoris & debitoris, & confirmatio magiſtratus concurrunt.

PROBABILIS) Richteri ſententia nititur hypotheſi Juris Saxon. quo Jure nulla hypotheca in mobilibus ſubſiſtit, niſi judicialis, quæ poſtea indiſtincte privatis præfertur. Quod apud nos admittitur in illa hypotheca judiciali, de qua Autor in fin. hujus §. Illa vero, quæ per immiſſionem fit, tranſit tantum in locum hypothecæ conventionalis, & ſic a tempore immiſſionis incipit, quod & rationi conveniens, cum omnis immiſſio fiat ſalvo jure aliis creditoribus jam quæſito.

§. LV.

Pignus prætorium, quod ob contumaciam debitoris creditori conſtituit judex, eum immittendo cuſtodiæ cauſa, non tribuit prioritatem; nam uno immiſſo, cæteri quoque immiſſi intelliguntur, qui ſunt ejusdem ordinis. *L. Cum unus.* 12. *ff. de rebus aut. jud. poſſ. & ibi notata.*

CAETERI QUOQUE) (Modo cæteri creditores, ſi in eadem provincia ſint, intra annum; extranei vero intra quadriennium veniant, immiſſioni adhæreant, debitum oſtendant, & expenſas illi, qui prius eſt immiſſus, refundant, ubi quoad quantitatem expenſarum ſtatur immiſſi juramento. *L. fin. C. de bon. aut. jud. poſſid. & ibi Aut. in Comm.*

§. LVI.

Interdum creditor duplicem habet hypothecam ſc. generalem, & ſpecialem, quo caſu ſpecialis prius excutienda, & ex ea ſolutio facienda, *L.* 2. *C. de pign. & ibi*



Digitized by Google

*& ibi notat.* quod & ad dotem extendit Mevius *p.* 2. *dec.* 116. niſi addita clauſula, quod ſpecialitas generali pignori non debeat derogare. Daniel. Moller. *ad Conſt. Sax.* 28. *p.* 1. *n.* 67.

§. LVII.

Hic ergo Regula juris obſervanda: Quod hypotheca tempore prior, præferatur poſteriori hypothecæ, *L. Potior.* 11. *in pr. & L. Creditor.* 12. §. *ult. ff. qui potior. in pignor.* quæ regula ampliatur, (1) licet poſterior poſſideat hypothecam, duobus creditoribus obligatam, *L. Creditor.* 12. §. *fin. ff. qui potior. in pignor.* cum *Lex Quoties. C. de Rei Vind.* in hypothecis locum non habeat: Neguzant. *de pign. memb.* 2. *p.* 5. *num.* 5. Covarr. *in pract. quæſt. cap.* 29. Koppen. *dec.* 28. *num.* 8. niſi quando duo non domini diverſis creditoribus oppignorarunt rem eandem, *L. Si non dominus.* 14. *ff. qui pot. in pign.* (2) Licet primus generalem, poſterior ſpecialem hypothecam habeat; nam & in ſpeciali præfertur prior. *L.* 2. *ff. qui potior.* (3) Non tantum in ſorte, ſed etiam in uſuris præcedit prior, quod quidem verum eſt, ſi bona omnibus ſufficiant, ſed ſi non ſufficiant, ſumma æquitas poſtulat, ut in uſuris, ſc. lucratoriis, non in compenſatoriis, tantum regula obtineat, Carpz. *d. c.* 28. *d.* 164. ſicut etiam in Electoratu Saxon. & olim etiam in Camera Brand. obſervatum memini. Vid. Scheplitz. *p.* 4. *tit.* 2. §. 5. & ibi *Pruckman. allegatus.*

TEM-

Digitized by Google

TEMPORE) Adeo, ut hic horæ & momenta attendantur, Gail. *l. 2. obſ. 25.* Wiſſenb. *Diſp. 40. theſ. 4.* Quod ſi de horis non conſtet, & plures hypothecæ eadem die conſtitutæ deprehendantur, pro rata concurrunt in eodem loco.

LEX *QUOTIES*) Habetur ibi, quod poſſeſſor, utut tempore poſterior, præferatur illi, qui prius contraxit. Verum hoc procedit tantum in illis, qui jus perſonale habent, ubi ſi alter poſſederit, propter traditionem potius jus habet illo, qui tantum contraxit. Quod ſi vero uterque jus reale habeat, non attenditur, quis prius poſſeſſionem nactus, ſed cui prius res obligata. Carpz. *P. 1. C. 28. Def. 112.*

REM EANDEM) Hic poſſeſſor poſterior potior eſt; quia prior tanquam non-dominus rem illam obligare non potuit; & quamvis alter non-dominus, qui in poſteriorem tranſtulit poſſeſſionem, eam pariter obligare non potuerit, dum tamen poſterior poſſidet, ex hoc capite potior eſt, licet illis, quibus a vero domino res oppignorata, præferri nequeat.

§. LVIII.

Regula iſta declaratur, quod in hypotheca ſimplici locum habeat; nam ſi hypotheca cum privilegio ſpeciali conjuncta, ut in ſecunda claſſe, ſequuntur ſe invicem creditores, non ſecundum prioritatem temporis, ſed ſecundum privilegii qualitatem. Deinde declaratur, quod ſi adſit contractus, & ſuper contractu, placitum hypothecæ ſub conditione ſuſpendatur, tunc attendatur tempus exiſtentis conditionis, ſi conditio ſit poteſtativa, in poteſtate debitoris poſita; verum ſi conditio caſualis, attenditur tempus primi conditionalis contractus, *per L. 9. & 11. ff. qui potior.* & quos retuli *ad L. 11.* Theſaurus *l. 3. q. 51.* Limitatur au-



Digitized by Google

tem in pignore prætorio, ut ſupra §. 55. dictum. Sic etiam creditor hypothecarius ratione temporis, v. gr. quintus, ſi creditum ſuum primo offerat, ac ſolvat, vel deponat, conſequitur poſſeſſionem pignoris a primo, & præfertur ſecundo & ſeq. *L.* 1. *C. qui potiores in pign.* & qui priori tempore ſolvit, non ſuccedit in ejus hypothecam, niſi hoc actum ſit: *L. Ariſto.* 3. *ff. quæ res pign. obl. poſſunt.* ſed poſterior creditor hypothecarius ſolvens priori, ſine ceſſione ſuccedit in jus. *L.* 1. & 3. *C. de his, qui in prior. credit. loc.*

IN POTESTATE DEBITORIS) E. gr. ſi mihi mutuo dederis centum, obligata tibi ſit domus mea: hic in poteſtate debitoris eſt, mutuum non accipere, & ſic non obligari; quapropter non valet hypotheca, niſi a die conditionis impletæ ſeu accepti mutui, *per. d. L.* 11. *pr. ff. qui. pot. in pign.*

OFFERAT) Vocatur hoc jus offerendi, quod omnibus poſterioribus creditoribus competit, hoc fine, ut prior creditor, rem detinens, accepta pecunia, pignus dimittat, ad quod etiam invitus tenetur, *per d. L.* 11. *§. fin. ff. qui pot. in pign.* etiamſi prior creditor ſit ipſa Reſpubl. vel fiſcus, *per L. ult. C. de his, qui in prior. creditor. locum ſucced.* Vid. Cruſii Tract. *de Jure offerendi.*

SECUNDO) Hoc puto tantum procedere quoad quantitatem, quam priori hypothecario ſolvit: quoad debitum vero ſuum, prælatione gaudere eapropter non poterit, ſed hoc in quinto demum loco accipiet: nec enim plus juris prior creditor transferre potuit, quam ipſe habuit.

NISI HOC DICTUM SIT) Conventione ergo opus eſt in creditore chirographario, vel in extraneo, cujus pecu-

pecunia prior aliquis hypothecarius dimiſſus, quo in hujus locum ſuccedat. Et hæc conventio vel iniri poteſt cum ipſo creditore, cui ſolvitur, ut ille jura ſua cedat ſolventi, vel cum debitore ſolo, etiam inſcio creditore primo; ſufficit enim, ſi debitor conſentiat, ut pecuniam ſolvens, in dimiſſi creditoris locum tranſeat, vid. Auth. *ad L. 3. C. de his, qui in prior. credit. loc. ſucced.* reliqui enim creditores hoc pacto non læduntur.

§. LIX.

Fieri autem ſolet, ut hypothecarius creditor inter chirographarios creditores referatur, puta, ſi duo ſpecialem hypothecam communem habeant, eaque priori creditori vix ſufficiat, tunc poſterior eventualiter ſolet inter chirographarios referri. Idem quando conſtitutio hypothecæ, aut conſenſus domini ad certum tempus reſtrictus. Richter. *diſp.* II. *c. 6. n. 3. & 6.*

VIX SUFFICIAT) Quo caſu hæc formula pronunciandi: Solte *Sempronius* aus der ihm verſchriebenen *ſpecial Hypothec* wegen der vorhergehenden *Creditorn* ſeine Zahlung nicht erhalten können / ſo iſt er wegen deſſen / was ihm abgehet / *inter Chirographarios* zu befriedigen. Cum enim jus reale ultra illam rem non habeat, merito chirographariis accenſendus. Conf. Richter. *cap. 6. n. 11.*

§. LX.

Quarta claſſis eſt eorum, qui habent perſonale privilegium, & hi meris & nudis chirographariis præferuntur, verum inter ſe non habent prioritatem, ſed regulariter concurrunt pro rata & in tributum. Carpz. *d. c. 28. d. 149.* Nam *L. 32. ff. de reb. auth. jud. poſſid.* IV. CLASS.

Digitized by Google

*poſſid.* de privilegiis realibus intelligenda. Vid. *ibid. notata.* Et tale privilegium perſonale habet Respublica, *L. penult.* §. 1. *ff. de reb. aut. jud. poſſ.* Mev. *P.* 2. *Dec.* 161. & ex eo probari poſſet: licet Eccleſia ratione debitorum chirographariorum non habeat in Marchia hypothecam, *per* §. 7. *Receſſ. Provinc. de An.* 1653. *vid. ſupr.* §. 18. ad minimum tamen exemplo Reipublicæ habere privilegium perſonale, ut aliis meris chirographariis creditoribus præferatur; licet apud Saxones tacitam hypothecam habeat Eccleſia. Carpz. *d. c.* 28. *d.* 116. Et apud Megapolitanos hypothecam habet privilegiatam, *per Conſtit. Adolph. Friderici Ducis, die 6. Febr. An.* 1645. *publicatam.* Idem habet Pupillus, quando agit negotiorum geſtorum actione. *L.* 23. *ff. d. tit.*

NEGOTIORUM GESTORUM) Scil. contra illum, qui tutor non fuit, ſed ex amicitia quædam negotia pupillaria ſuſcepit.

§. LXI.

Sic perſonale privilegium etiam habet deponens in re depoſita, non amplius extante, ſed conſumpta. *L.* 7. §. *pen. ff. depoſiti. L.* 24. §. 2. *ff. de reb. auth. jud. poſſ.* Quod ad cambialem pecuniam, non amplius extantem, extendunt, Carpz. *P.* 3. *d.* 80. licet aliqui creditorem cambialem ad primam vel ſecundam Claſſem referant, ut Berlich. *P.* 1. *Concl.* 64. *num.* 14. ſed ſine fundamento, ſiquidem in dicta *L.* 24. §. *penult.*

*nult. de reb. aut. jud. poſſ.* de privilegio perſonali agitur, ex *quo* §. tamen limitatur hoc privilegium, niſi deponens uſuras ſtipulatus ſit, nam tunc potius eſt mutuum, quam depoſitum, *d.* §. *penult.* quod etiam de iis deponentibus dicitur, qui poſtea uſuras accipiunt, *d.* §. *pen. L.7. ff. depoſit.* ex quo §. in verbis *ante privilegia* colligi poſſet, hoc privilegium aliis privilegiis præferendum, & hinc deponentem non teneri in tributum. Sed an deponens, ſi ex depoſita pecunia conſumta hodie uſuras petat, renunciet privilegio, de eo *vid. notat. ad* §. *penult. d. L.7.* ſane pupillus, vel minor reliqua a tutore cum uſuris petens, non videtur renunciare privilegio ſuo. *L.44.* §. 1. *ff. de adminiſt. tut.*

RE DEPOSITA) In Saxonia hoc tantum procedit in depoſito voluntario, non in neceſſario, E. gr. ſi juſſu judicis res depoſita & poſtea conſumpta fuerit, tunc enim deponens in bonis depoſitarii conſumentis præfertur etiam arreſtantibus. Richter. *de Privil. Cred. c. 5. n. 12.* Sed numne ita omnibus hypothecis & arreſtis prioribus præfertur? Negat Carpz. *d. 151.* ubi hypothecas & arreſta, tempore priora, præferri dicit, a quo diſſentit Berlich. *P. 1. Concl. 70. n. 4.* Sed Carpzovii ſententia mihi videtur verior, cum depoſitarius ſuo delicto, ſc. intervertendo depoſitum, non poſſit anteriorum creditorum jus reale deterius reddere.

STIPULATUS SIT) Hoc admitti poteſt, ſi ab initio contractus de uſuris pactio addita, ſic enim degenerat in mutuum; aliud, ſi jam conſumpto depoſito, uſuræ promittantur, de quo Autor in fine h. §.

Q HODIE

Digitized by Google

HODIE USURAS) Supponit hic Autor jus illud, quod poſt *L. fin. C. de Novat.* obtinet, ubi novatio non præſumitur, niſi expreſſe id dicatur. Ex quo ſequitur, deponentem, ſi ex poſtfacto ſtipuletur uſuras, non novaſſe, ſeu obligationem ex depoſito amiſiſſe; cui accedit, quod hodie indiſtincte ob moram debeantur uſuræ, ut hinc exprimendo id, quod tacite ineſt, nemo ſibi noceat, nec renunciatio juris facile inducenda. *Vid. ſupr. §. 17. hujus Cap.*

§. LXII.

Illi etiam, quibus alimenta promiſſa ſunt, non expreſſo certo fundo, unde debeant ſolvi, aut expreſſo quidem, ſed demonſtrationis, non taxationis gratia, (Nam ſic eſſet hypotheca conſtituta.) Vid. *notata ad L. fin. §. fin. de contrah. empt. L. 38. ff. de uſufr. leg.* Nec diſtinguitur inter alimentarios, an pauperes ſint, an locupletes. *L. 8. §. 7. ff. de transact.* Carpz. *d. Conſt. 28. D. 152.*

DEMONSTRATIONIS) Quia eo caſu promittens alimenta, non abſolute reſpicit ad fundum, ſed potius perſonam ſuam ad præſtationem obligat; fundum vero obiter tantum demonſtrat, hinc fundum obligaſſe non cenſetur, ſecus ſi reſtrictam ad fundum habuerit intentionem.

PAUPERES) Pauperibus aliqui ſimpliciter ex quocunque debito privilegium perſonale tribuunt, ſed ſine Lege. Paupertas quidem commiſerationem, ſed non privilegium meretur. arg. *L. 19. ff. de Offic. Præſ.*

§. LXIII.

Privilegium etiam perſonale communiter tribuitur illis, qui expreſſe ad rem, immobilem præſertim, vel navem emendam crediderunt, nulla conſtituta hypotheca. *arg. L. 26. & 34. ff. de reb. auth. jud. poſſid.*

Carpz.

Digitized by Google

Carpz. *d. C.*28. *def.*155. Chemnit. *d.l.th.*277. Richter. *diſp.*7. *C.* 3. *Sect.* 4. Unde quæritur, an etiam venditor ratione pretii habeat privilegium? Quod de Jure Saxonico affirmat Carpz. *d. C.*28. *def.*154. Sed item non male dici poteſt de Jure Civili: nam & hic credidit pretium, & eadem, ſi non major, videtur ratio eſſe in venditore, quam in creditore extraneo, qui ad rem emendam credit; ſi vero per dolum res emta ab eo, qui non eſt ſolvendo tunc venditor rei dominium habet, & ſic ad primam claſſem creditorum pertinet. Gail. *lib.* 2. *obſ.*15. Privilegium perſonale etiam ad ſucceſſorem ſingularem pertinet, quando perſonæ privilegiatæ intereſt. *L.*17. §.5. *de pact.* Mev. *P.*4. *Dec.*151.

CREDIDIT PRETIUM) Praxis extra Saxoniam contrarium ſervat, unde creditori liquidanti pretium pro mercibus venditis (vor verkaufften Kram-Wahren) locum inter chirographarios aſſignavimus in Facultate *d.* 8. *Julii An.* 1674. nach Wolffenbüttel / quando enim merces, fide habita, venduntur, plerumque cariori pretio diſtrahuntur, ut hinc iniquum, ſi potiori chirographariis privilegio uti debeant.

§. LXIV.

Tribuendum etiam privilegium illis, qui oves vendiderunt poſſeſſori prædii ruſtici: ut & impenſis medicis non in ultimum morbum factis. Conf. Carpz. *d. Conſt.*28. *def.*45. Item ſalaria Advocatorum, inſtitorum, & quod pro informatione debetur: Beuth. *lib.*1. *cap.*28. 31. & 45. item quicquid ob ſtudia debetur ſine



Digitized by Google

onere reali: Dn. Richter. *D.* II. *c.* 5. *n.* 9. item iis creditoribus, qui gratis ſine uſuris crediderunt, privilegium tribuunt Saxones: Carpz. *d. Conſt.* 28. *def.* 153. item qui ad redemtionem captivi crediderunt. Carpzov. *P.* 3. *Dec.* 279.

PRÆDII RUSTICI) Nam per oves, mediante ſtercoratione, agri redduntur fertiliores. Huc quoque referunt caſum, ſi quis debitori crediderit frumentum ſementarium, Saat-Korn/ quamvis ſi ultimo anno hoc factum, & fructus inde nati adhuc exſtent, hoc creditum, omnibus aliis præferatur, Carpz. *P. 1. C. 28. D. 39.* Imo & huc referendum puto frumentum, an alimenta creditum, das Brodt-Korn/ quod alio credito chirographario longe favorabilius eſt.

INFORMATIONE) Hoc ad publicos informatores pertinet. Nam præceptores, qui pro certa mercede in convictu debitoris exiſtunt, & liberos informant, ad ſecundam claſſem referuntur. *Vid. ſup. §. 16. in fin.*

§. LXV.

Nullum vero privilegium competit, quando quis pecuniam, ad me perferendam, tradidit tibi, & tu conſumſiſti, nam hoc pro depoſito haberi non poteſt, Richter. *D.* II. *c.* 5. *n.* 1. *circa fin.* nec fidejuſſori, qui pro debitore principali ſolvit, licet id tradat Beuth. *l.* 1. *c.* 48. Collegio autem in bonis collegæ privilegium conſtituunt quidam, quoad æs alienum, quod tamen negat Carpz. *d. C.* 28. *def.* 156. ex quo dubia redditur ſententia Carpz. *P.* 1. *Dec.* 54. qui ſociis tribuit privilegium in bonis ſocii, præ aliis extraneis creditoribus.

Digitized by Google

toribus. Nec tribuendum eſt privilegium perſonale cognatis, præ aliis creditoribus extraneis, ut facit Carpz. *d. Dec.* 54. *n.* 10. & *C.* 28. *d.* 158. Berl. *P.* 1. *concl.* 71. *num.* 3. quia *L.* 16. *de reb. auth. jud. poſſ.* de alia materia, ſcil. de licitatione duorum emptorum loquitur.

BONIS SOCII) Inter ſocios enim nullum aliud vinculum, quam perſonale eſt, quod idem quoque eſt quoad reliquos chirographarios; unde conſultum eſt, ut ſocii ab initio contractus ſibi de hypotheca generali proſpiciant. Solte einer dem andern aus dieſer *Societät* künfftig etwas ſchuldig bleiben/ ſo ſollen des Schuldners Güter dem andern verpfändet ſeyn.

PRIVILEGIUM PERSONALE) Ad perſonaliter privilegiatos referri quoque ſolent a quibusdam mercedes opificum, e. g. quod ſartoribus, piſtoribus, tonſoribusque debetur, plerique tamen Doctores chirographariis eos annumerant. Richt. *c.* 6. *n.* 23. Mev. *ad Jus Lubec. l.* 3. *tit.* 1. *art.* 11. *n.* 69. Carpz. *p.* 1. *C.* 28. *D.* 27. Et hinc in facultate eos inter chirographarios retulimus *d.* 20. *Febr. Anno* 1677. nach Parchim / & *d.* 10. *Nov. An.* 1679. nach Cotbus. Verum ſi æquitati aliquid dandum, contraria ſententia magis probanda. Non enim rationem video, quare qui rem vendidit fide habita, qui pecuniam ſine uſuris credidit, qui operas inſtitorias præſtitit, chirographariis præferri debeat, illi vero, qui operas ſuas in utilitatem debitoris impenderunt, in chirographariorum ſortem redigantur, cum & hic militet favor des verdienten Lohns.

## §. LXVI.

Claſſis creditorum ultima eſt merorum chirographariorum, qui nulla hypotheca, nec privilegio nituntur, & hi omnes ſimul pro rata concurrunt, & in

tributum eunt. Quo pertinent etiam creditores, qui habuerunt hypothecam ſpecialem, ſed quæ ab aliis præoccupata, aut extincta, ut ſupra dixi §. 59. Sic licet uxor marito crediderit pecuniam, de ſuis bonis receptitiis, ſi nulla ipſi conſtituta hypotheca, ad chirographariorum claſſem pertinet. Sic huc pertinet, qui fraudis particeps, ſibi in fraudem aliorum creditorum hypothecam conſtitui curavit. Berlich. *d. Concl.* 71. *num.* 5.

§. LXVII.

Interdum vero ſeparantur chirographarii, quando liquidatus habet plures negotiationes, & tabernas: *per L.* 5. §. 15. *ff. de tribut. act. & ibi a me notata.* & Berlich. *Concl.* 71. *n.* 6. & creditores clerici præferuntur in fructibus beneficii aliis, qui ante dignitatem crediderunt: Roman. *ſingular.* 87. quando alius contrahit in bello, alius domi, & ſunt diverſa bona. Berl. *d. loco.*

CREDITORES CLERICI) Præſumuntur enim hi crediddiſſe ad peculium quaſi caſtrenſe clericorum, cum ergo fructus beneficii ad hoc peculium pertineant, merito in illis obtinet prælatio.

§. LXVIII.

Si alia in judicio ſtatuta, alia in domicilio liquidati, quod tunc contingit, quando ſuper mobilibus & mercibus Hamburgenſis civis hic arreſtatis, hic concurſus creditorum excitatur, non ſecundum ſty-

lum

Digitized by Google

lum hujus curiæ, ſed ſecundum Statuta Hamburgenſia, creditores ratione mobilium collocandi, quia mobilia ſequuntur perſonam. Carpzov. *d. Conſt.* 28. *Def.* 9. Ergo aliud, ſi liquidatus Hamburgenſis hic prædium poſſideat, nam tunc ſtatuta hujus loci ſequeremur.

§. LXIX.

Poſt omnes creditores defuncti debetur Magiſtratui decima, vel quindena, ob jus detractionis, ſeu Gabella emigrationis, ſi quidam creditores ſint extranei, quia eſt pars bonorum, quæ non debetur, niſi deducto ære alieno. *L. Subſignatum.* 39. §.1. *de V. S.* Mev. *P.2.Deciſ.*161. Uſuræ pro collectis & oneribus non ſolutis, poſt omnes creditores ſunt, quia ſunt punitoriæ. Mev. *P.2. Deciſ.*162. Et huc pertinent pœnæ fiſcales, quæ omnibus creditis poſtponuntur. *L.*17. *ff. de jur. fiſc.*

OMNES CREDITORES) Decima poſtponitur illis creditoribus, qui, antequam decima deberetur Magiſtratui, contraxerunt; quodſi vero patre defuncto filius aliorſum ſe conferat, & æs alienum contrahat, his filii creditoribus Magiſtratus præfertur, utpote qui ex tempore mortis paternæ jus petendi decimam habuit. Mev. *d. l.*

SINT EXTRANEI) Dubito de hac deciſione; an creditoribus incumbat ſolutio gabellæ, etiamſi ſint extranei? Nam gabella uti alia eſt hereditaria, Abſchoß/ alia emigrationis, Abzug/ ita illam tantum ſolvunt heredes, hanc vero, qui domicilium aliorſum transferunt, non qui, quod ſibi debetur, ex alia Provincia petunt. Et ſi creditoribus incumberet hoc onus, tunc hæc gabella non

poſt

Digitized by Google

poſt omnes creditores, ſed eodem loco, quo creditor extraneus collocatus, ſolvenda foret, cum hujus porticni detrahatur. Gabella ergo in concurſu creditorum tunc locum habebit, ſi, poſtquam aliis creditoribus ſatisfactum, aliquid ſuperſit, quod heredes debitoris extranei in alium locum transferre velint.

PUNITORIÆ) Pœna enim omnibus creditoribus poſtponitur, quod ſi tamen interim Reſp. aliunde ſub uſuris pecuniam accipere neceſſum habuerit, merito a debitore collectarum iterum uſuras petit, pro collectis ceſſantibus, in compenſationem damni interim perpeſſi, quo caſu uſuræ eodem loco cum collectis ſolvendæ. Klock. *de Contribut. c.19. n.514.*

§. LXX.

Sed quæritur, ſi debitor chirographario ſolverit, aut poſteriori creditori, & poſtea non ſolvendo fiat, an id repetere poſſit prior a poſteriori? Reſp. Communis ſententia eſt, ſi citra vim, aut gratificationem chirographario ſolverit debitor, pluribus nimirum inſtantibus, quod tunc illa ſumma repeti non poſſit; ſed id accipiunt alii, niſi debitor non ſit ſolvendo, nam tunc privilegiatos & hypothecarios creditores poſſe repetere, & ſic *L.5. C. de privil. fiſci. & L.*18. §. *ult. & L. ſeqq. ff. de jur. fiſc.* generaliter intelligunt Doctores. Hartm. Piſtor. *l.3. qu.29. n.*20. & alii, quos refert & ſequitur Berlich. *P.*1. *Concl.*71. *n.*20. Illud tamen in creditoribus, æquali jure nitentibus, locum non habet, nec ab eo repetere alius poteſt, v.g. chirographarius ab alio chirographario, vel privilegium perſo-

Digitized by Google

perſonale habens, ab alio privilegiato creditore. Berlich. *d. Concl.* 71. *n.* 7. *& n.* 29.

GENERALITER) Quoad fiſcum res ſalva eſt, propter *d. L.* 5. Quoad alios creditores hypothecarios concedi poſſet hæc ſententia, ſi res ſoluta apud chirographarium adhuc exſtaret; ſed ſi non exſtet, verum conſumpta ſit, non video, quare ad reſtitutionem obligetur, cum ante concurſum motum licite ſibi vigilare potuerit, *L.* 24. *ff. quæ in fraud. cred.* & de hoc caſu rei adhuc exſtantis idem exiſtimat Aut. noſter in §. ſeqq.

## §. LXXI.

Id vero certum, quod hypothecarius creditor prior ſuam hypothecam repetere poſſit a poſteriore, eam poſſidente, actione hypothecaria, *L.* 16. §. 3. *ff. de pign.* quod an in re ſoluta, bona fide conſumta, locum habeat, multi diſputant. Berlich. *dict. Concl.* 71. *num.* 39. & *multis ſeqq.* id abſolute affirmat; ſed negat Rauchb. *p.* 2. *q.* 9. *per totam.* Gail. *L.* 2. *Obſ.* 25. *num.* 16. Pruckman. *vol.* 1. *Conſ.* 24. *num.* 110. Quam ſententiam veriorem puto, *&* *L.* 18. §. *fin. ff. de jur. fiſci.* de ſpeciali privilegio fiſci intelligitur. Non iniqua foret limitatio, niſi prior creditor probet poſteriorem ex conſumtione rei obligatæ factum eſſe locupletiorem, ſicut de fructibus, bona fide conſumtis, ſtatuit Carpz. *d. p.* 3. *C.* 32. *d.* 28.

LOCUPLETIOREM) Hoc intelligo, ſi plus ex re illa, quam a debitore in ſolutum acceperat, & poſtea



Digitized by Google

alienavit, receperit, quam quantum erat debitum. Ipſam enim pecuniam, quam pro re in ſolutum data & poſtea iterum vendita accepit, reſtituere non tenetur, cum in ſingularibus pretium non ſuccedat loco rei, niſi forte doloſe facta alienatio. Vid. Aut. *in Comment. Cod. ad L.* 5. *de privil. fiſc.*

§. LXXII.

Demum aliquot dubios caſus proponit Carpz. & Berlich. *Concl.* 72. Primo ſi ſint tres creditores, quorum primus habet tacitam hypothecam, ſecundus expreſſam hypothecam, tertia creditrix dotem repetit, ubi putat Carpzov. *P.* 1. *C.* 28. *d.* 175. ex æquitate dotem præferendam eſſe, cum vincat Jure Saxonico primum creditorem, habentem hypothecam tacitam. Sed hic nulla apud nos difficultas, quia mulierem, dotem repetentem, omni expreſſæ hypothecæ præponimus, & mulier primo, deinde tacita & expreſſa hypythoca ratione temporis collocantur.

Secundus caſus, de quo Carpzov. *d. Conſtit.* 28. *def.* 176. eſt ille: Primus habet expreſſam hypothecam; ſecunda mulier repetit dotem, tertius in refectionem rei mutuo dedit, ubi decidit *Carpz.* uxorem præferendam eſſe, cum enim hæc vincat expenſas refectionis; hæ vero vincant expreſſam hypothecam, mulier pariter expreſſæ præferenda. Sed nec ille difficilis eſt, quia dos & mutuum ad refectionem datum concurrunt, niſi unum altero

ro tempore prius, poſtea ponitur expreſſa hypotheca.

Tertius caſus eſt, quem proponit Berlich. *Concl.* 72. *n.* 8. Primus habet hypothecam expreſſam, ſecundus eſt fiſcus, tertius dos. Sed nobis fiſcus & dos in novis bonis concurrunt, in antea quæſitis dos præponitur, poſtea fiſcus & tertio hypotheca expreſſa.

Quartus caſus: Primus habet hypothecam extrajudicialem, ſecundus habet arreſtum intermedium; tertius habet hypothecam publicam, conſenſu ſuperioris conſtitutam, ubi ſecundum ex perſona tertii primum vincere, decidit Carpz. *def.* 177. de quo dubitat Berlich. *d. C.* 72. *n.* 14. Sed id nobis planum, nam tertius præfertur primo, & primus ſecundo præfertur.

Quintus Caſus: Primus habet arreſtum, ſecundus expreſſam hypothecam intermediam, tertius repoſcit pecuniam, judicialiter ex neceſſitate depoſitam, quam depoſitarius conſumpſit. Sed non apparet hic dubium, cum tertius creditor jus reale in cæteris bonis non habeat, ſicut nec contractus judicialis, nec ſententia jus reale tribuit, nec arreſtum apud nos jus reale tribuit. Ergo præfertur ſecundus & tertius, ut privilegiatus, primo.



Digitized by Google

Sextus Caſus, quem habet Berlich. *d. C. 72. n.* 18. eſt hic: Primus habet arreſtum anterius, ſecundus hypothecam expreſſam, tertia creditrix repetit dotem; ſed hoc ex dictis facilem habet deciſionem apud nos. Præfertur enim dos, poſtea hypotheca expreſſa, demum arreſtum.

PRIMO) Difficultas caſuum hic propoſitorum Jure Saxonico inde oritur, quod Saxones omnibus hypothecariis tacitis dotem præferant, e contrario expreſſis anterioribus poſtponant. Jure Communi vero cum ex veriore ſententia ob generalitatem *L. 12. C. qui pot. in pign.* dos etiam expreſſis hypothecariis præferatur, dubia hæc Saxonica facile evaneſcunt.

VINCAT) Recurrunt in hac materia ſæpius ad illam regulam: Si vinco vincentem te, vinco & te, per *L. 14. §. 3. ff. de div. & tempor. præſcript.*

PRÆFERTUR PRIMO) Carpz. *in alleg. Def. 177.* talem ſupponit caſum, ubi primus quidem habebat hypothecam extrajudicialem, ſed coram Notario & teſtibus conſtitutam, quæ in Saxonia hypothecæ judiciali poſtponitur. De jure vero communi, cum hypotheca coram teſtibus idem valeat, quam judicialis, per *L. 11. C. qui pot. in pign.* ideoque in caſu hic propoſito attendendum eſſet, an hypotheca judicialis ſit prior, an illa, quæ coram teſtibus.

## §. LXXIII.

Jure Civili, ut dictum, uſuræ cum ſorte addicuntur; ſed Jure Saxon. id locum non habet, Carpz. *d. c.* 28. *def.* 161. qui in ſequentibus definitionibus id ampliat, licet ſuper uſuris quoque conſtitura hypotheca, imo licet arreſtum etiam ſuper uſuris impetra-

petratum. Richt. *de Privil. Cred. C. 7. n. 50.* Limitat vero in uſuris compenſatoriis, in fructibus antichreticis, in uſuris dotis, uſuris pretii non ſoluti, pecuniis hereditariis, in annuis reditibus, in uſuris pro debitore ſolutis, in Eccleſiis, piis locis, & pupillis. Carpz. *d. l. defin. 163. & ſeqq.* Hoc tamen, quod de uſuris pretii non ſoluti & pecuniis hereditariis dictum, ad Electoratum Saxoniæ reſtringit Richt. *d. C. 7. n. 78. & 79.* Id certum, creditores, qui jure ſeparationis utuntur, etiam quoad uſuras præferri, Richt. *d. l. n. 82.* ſicut & debita feudalia conſenſu domini munita, quoad ſortem & uſuras præferuntur. *Deciſ. Elect.* 10. In Marchia hoc non obtinet, niſi contra creditores Saxonicos id fiat, per jus retorſionis, de quo ita in *Receſſ. Provinc. de An. 1653. §. 32.* Wir laſſen auch geſchehen / daß gegen Außländiſche *Creditores*, woſelbſt den *prioribus Creditoribus* nur allein die *Capitalia*, und die Zinſen nicht ehe / biß auch die *poſteriores Creditores quoad ſortem* befriediget / *adjudiciret* werden / das *Jus Retorſionis* gehalten / auch hinfüro *in Uſuris*, es ſey *in* oder *extra Concurſum*, deme nachgeſprochen werden möge.

COMPENSATORIIS) Hoc eſt, ſi probare poſſit creditor, ſe ob moram debitoris in non-ſolvendo, interim alibi pecuniam mutuam ſub uſuris recipere, neceſſum

 habuiſſe,

Digitized by Google

habuiſſe, tali enim caſu de damno compenſando agit. Berl. *P. 1. concl. 66. n. 1.* Richt. *de Privil. Credit. c. 7. n. 77.*

DEBITORE SOLUTIS) Quos ſcil. fidejuſſor conventus, pro debitore ſolvere debuit, hæ enim uſuræ reſpectu fidejuſſoris fiunt nova ſors, quia revera tanta ſumma fidejuſſori ex bonis ſuis abeſt. Vid. *L. 12. §. 6. ff. qui pot. in pign.* Berlich. *d. Concl 66. n. 16.* Unde etiam hoc caſu ſubſiſtit anatociſmus, h. e. uſurarum ita ſolutarum uſuræ iterum peti poſſunt.

PUPILLIS) De omnibus & ſingulis his caſibus ex profeſſo egit Carpz. *lib. 4. Reſp. 42. & ſeqq.*

USURAS PRÆFERRI) Ita tamen, ut inter ipſos creditores, jure ſeparationis utentes, in Saxonia idem obtineat, ut ſcil. poſtquam omnibus creditoribus paternis de ſorte ſatisfactum, uſuræ eodem ordine ſolvantur, ante tamen creditores filii.

# CAPUT VI.
## DE
# APPELLATIONE CONTRA SENTENTIAM PRIORITATIS.

### SUMMARIA.

1. *Contra Sententiam prioritatis admittitur appellatio.*
2. *Utile eſt, ut acta originalia ad Judicem Superiorem transmittantur.*
3. *Judex inferior poteſt interdum totam cauſam remittere ad ſuperiorem.*
4. *In punctis non appellatis decernenda executio.*
5. *Ante admiſſum appellationis Proceſſum tentanda compoſitio.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

SEntentia publicata, ſiquidem aliquis creditorum ſe gravatum putet, conceditur appellatio, quæ hic in concurſu creditorum nullo jure prohibita, etiam ad Cameram Spirenſem devoluta, quod rarius factum ſuperiori ſeculo. Dn. Mevius *P.* I. *Dec.* 210. Sunt vero in hac materia appellationis aliqua ſingularia.

NULLO JURE PROHIBITA) Ratio, quia appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ ſemper permiſſa, donec in ſpecie doceatur prohibita. Bene tamen monet Mev. *p.* 7. *Deciſ.* 125. antequam appellatio vel reſtitutio in integrum, vel querela nullitatis uni creditorum permittatur, judicem attendere debere: an gravamina exiſtant relevantia; ſi non, rejiciat, ſin ſecus, tunc aut gravamen liquidum, & ipſe Judex emendet; aut altioris indaginis, & admittat appellationem, ſi res transactione componi non poſſit, de quo Auth. *in* §. *fin.*

§. II.

In Appellationibus ſolent Actorum Copiæ a judice a quo, ad literas compulſoriales transmitti ad judicem ad quem, ſed quia vaſta ſunt plerumque actorum concurſus volumina, pleraque etiam in controverſiam non vocata, & ſeparatio actorum periculoſa, ſolet Superior mandare, ut acta originalia ſub ſigillo judicis transmittantur ad ſuperiorem, id quod in Ordinatione Summi Tribunalis VVismar. conſtitutum *p.* 2. *tit.* 3. §. 7. ubi ratio ex-

Digitized by Google

exprimitur: und wann von Erkäntniſſen in concurſu creditorum; da offt über einem Punct der Debitor, ein oder ander Creditor appelliret, die ſämtlichen Acta abſchreiben zu laſſen überflüſſig/ eine Separation damit vorzunehmen/ bedencklich/ auch nicht wol möglich/ &c. Et ſic etiam transmiſſionem originalium Actorum in Camera Elect. Brandenb. Neomarch. inferiori demandatam ſcio. Sicut & in Saxoniæ Electoralis foro regulariter acta originalia edenda. Carpzov. *in proceſſ. tit.* 18. *art.* 5. *ſub fin.*

§. III.

Deinde, licet appellatio ſit interpoſita ab uno vel paucis punctis, & cætera in rem judicatam tranſeant, ac judex a quo, de aliis punctis ſeparatis cognoſcere pendente appellatione poſſit, tamen poteſt judex a quo, totam cauſam remittere ad ſuperiorem, ne ſuperiori præjudicium faciat, & præſertim, cum originalia Acta transmiſſa ſint, Mev. *p.* 3. *dec.* 223. *n.* 1. quamvis quæ ad conſervationem bonorum faciunt, ordinare bene poſſit.

AB UNO) Si unus creditorum tantum appellet, non mox a judice ſuperiori ſimpliciter decernenda inhibitio; ſæpius enim illi, qui appellant, ex poſterioribus creditoribus ſunt, ubi iniquum eſſet, propter unius creditoris appellationem, tot aliorum creditorum jura liquida ſuſpendere, inter quos ſæpe ſunt privilegiati & piæ cauſæ; quare con-

conſultius eſt, ut Judex ſuperior tantum in puncto, a quo appellatur, inhibitionem decernat, & in aliis punctis judici inferiori permittat poteſtatem ulterius procedendi ſed ſine præjudicio ipſius appellantis. Mev. *P. 1. Dec. 75.*

PRÆJUDICIUM FACIAT) Supponendum hic eſt, puncta, de quibus appellavit, tanti momenti eſſe, ut reliquorum juribus præjudicare poſſint. Huc ſpectat, quod etiam pendente appellatione, curatorem conſtituere, & ab eo rationes exigere, ſuper rationibus exactis & redditis, judicare poſſit judex inferior, quia hoc modo cauſæ appellationis præjudicium non facit. Mev. *Part. 3. Dec. 61. & Dec. 223.*

§. IV.

Per appellationem debitoris, vel quorundam creditorum non tota ſuſpenditur ſententia: ideoque ſi inter poſteriores creditores tantum lis verſetur, priorum jura non ſunt ſuſpendenda, ſed judex ſuperior interim inferiori demandare poterit executionem in punctis liquidis. Sed ſi creditores inter ſe pares, remedio cautionis locus eſſe poteſt, *L. Is, a quo. 57. ff. de Rei Vind.* & per tradita Anton. Fabri, *lib. 6. C. tit.* 11. *def.* 4. Mev. *Part.* 1. *dec.* 210. *n.* 11.

INTERIM) Ob hanc cauſam, ſi aliqui creditorum jura ſua ſufficienter deduxerint, & ea propter definitivam ſententiam urgeant, alii vero creditores jura ſua nondum ſatis probaverint, ſententia fieri poteſt hoc modo, ut illis ſimpliciter locus asſignetur; his vero ſub conditione, ſi melius jura ſua docuerint. Richter. *de pr. cr. cap. 1. n. 43.* Carpz. *P. 1. C. 28. D. 4.* Mev. *ad Jus Lubec. Lib. 3. Tit. 1. Art. 1. n. 22.* Vid. Aut. ſupra *cap. 3. §. 15.*



Digitized by Google

CAUTIONIS LOCUS) Solet etiam hoc remedium adhiberi, ut, ſi unus vel alter creditor tantum appellaverit, tot bona ſeparentur, quibus in eventum ipſis ſatisfieri poſſit. Mev. *P.6.D.337. n.3.*

§. V.

Antequam vero proceſſus appellationis aperiatur, appellantes & appellati ad audientiam citandi, & laborandum, ut articuli controverſi per transactionem, aut ſententiam declaratoriam ſtatim decidi queant.

QUEANT) In Neomarchia hoc in omnibus proceſſibus ſaluberrime receptum, ut antequam appellationi deferatur, prius ſuper relevantia gravaminum ſummarie cognoſcatur: Ob die *Appellatio admiſſibel* oder nicht?

# CAPUT VII.
## DE
# EXECUTIONE SENTENTIÆ IN CONCURSU LATÆ.

### SUMMARIA.

1. *In Executione hic non attenditur ordo L. 15. §. 2. ff. de Re jud.*
2. Taxatio *bonorum per quos facienda?*
3. *Taxatio Creditoribus publicanda, & eorum conſenſu ſubhaſtatio ſuſcipienda.*
4. *De* forma *faciendæ ſubhaſtationis.*
5. *Licitator ad minimum dimidium taxati pretii offerre debet.*

*6. Si*

Digitized by Google

6. *Si alius plus offerat, de novo facienda ſubhaſtio.*
7. Termini *Subhaſtationum plerumque arbitrarii.*
8. *Ad licitandum admittuntur omnes.*
9. *Quid ſi unus plus offerat, ſed per terminos ſolvere velit?*
10. *Quid ſi licitans, ſuum debitum compenſaturus, plus offerat?*
11. *Si plures idem pretium offerant.*
12. *An elapſo tempore licitationis, novus licitator admittatur?*
13. Addictio *plene ſecurum reddit emptorem.*
14. *Emptore non reperto, bona accipienda in ſolutum.*
15. *Mores Marchiæ.*
16. *Quid Jure communi?*
17. *An debitori ſalva ſit* reluitio?
18. *An creditores teneantur ad* evictionem?
19. *Addictio hæc non tollit onera rei inhærentia.*
20. *An debitori ex concurſu bona quædam relinquenda?*
21. *Quid, ſi quibusdam creditoribus non ſatisfactum?*
22. *Dotalitium interdum impedit venditionem.*
23. *Quid de bonis fideicommiſſo obnoxiis?*
24. Nullitas *opponi poteſt ſubhaſtationi.*
25. *An exceptio læſionis enormis?*
26. *Quid ſi inſtrumenta noviter reperta?*



Digitized by Google

§. I.

QUando Sententia definitiva lata, & in rem judicatam tranſiit, tunc ea, quatenus definitiva, executioni tradenda: Et quamvis aliæ executiones ita fiant, ut incipiatur a mobilibus, poſtea ad immobilia, & demum ad nomina procedatur, *per L. A Divo Pio.* 15. §. 2. *ff. de Re jud.* Hic tamen ordo iſte non obſervatur, quippe ordo ille in gratiam debitoris conſtitutus eſt, cujus hic non habetur ratio, quia bonis ceſſit; ideoque non posſunt poſteriores creditores petere, ut prioribus ex reditibus, & mobilibus ſatisfiat, quia priores habent jus radicatum & hypothecam in immobilibus, & qui habent hypothecam generalem, illi habent electionem. *L.* 8. *ff. de diſtract. pign.* Mevius *part.* 6. *Deciſ.* 399.

NON HABETUR RATIO) Poſtquam enim bonis cesſit, negotium cum ipſo amplius non geritur, ſed inter ipſos creditores, qui quo pacto bona inter ſe diſtribuant, debitoris amplius non intereſt. Diſtribuunt vero bona non pro qualitate rerum, ſed pro qualitate jurium competentium, adeo, ut cui primus locus in ſententia asſignatus, reliquis quoque in electione bonorum præferatur, ut, ſi veſit, mox nomina eligere posſit.

§. II.

Optimum erit, ut per idoneos Commiſſarios & peritos ejus rei, v. g. agricolas, & artifices, eosque juratos, Mev. *p.* 6. *Dec.* 160. Philipp. *in tract. de ſub-*

*ſubhaſtas. C.* 3. *Comm.* 3. *n.* 2. Joh. Köpp. *D.* 44. *n.* 23. *ſeqq.* taxentur mobilia & immobilia, quod & ſignificare creditoribus præſtabit, ſi aliquos ex ſuo numero taxationi adhibere velint, & ſi quid haberent monendum, id monerent, ne poſtea ſuper taxatione novæ lites emergant, *per L.* 16. *C. de Reſcind. vend.* Sicut etiam Joh. Philip. *d. l.* agnoſcit, Jure Comm. taxationem ſubhaſtationi præferendam eſſe, licet ſecus Jure Saxon. Vid. Köppen. *d. l. n.* 19. Quid autem in æſtimatione prædiorum conſiderandum, enarrat Köppen. *dec.* 44. *n.* 27. v. g. ſitus, onera, fructus etiam; ratio vero non habenda contributionum. Mev. *p.* 6. *dec.* 158.

PRÆFERENDAM ESSE) Diſtinguunt alias Dd. inter venditionem ſub haſta, & adjudicationem faciendam; ibi non opus eſt prævia taxatione, cum ita ſubhaſtatio ſine pretii fiat determinatione, quo cuique licitanti pretii quanticunque oblatio libera maneat: Quod ſi vero nemo licitatorum inveniatur, & res creditori alicui adjudicanda, tunc opus eſſe dicunt ſubhaſtatione. Ludov. Poſt. *tr. de Subhaſt. Inſpect.* 47. *n.* 22. & 31. Verum quia intereſt creditorum, ne nimis vili pretio res ſub haſta diſtrahatur; non video rationem, quare non prius taxatio præmitti debeat, quo inde creditores perſpiciant, an ſibi conſultius pro oblato pretio rem licitatori vendere, vel in ſolutum accipere. Nec taxatio præciſe ſtringit licitatorem, ut tantum pretium offerat.

IN ÆSTIMATIONE PRÆDIORUM) Requiſita in æſtimatione bonorum attendenda, ordine recenſet Wehn. *in obſerv. pr. ſub voce:* Anſchlag der Güter. Regulariter

riter prædium æſtimandum pro quantitate fructuum, qui inde percipi poſſunt, ſi prædium optime conſtitutum eſſet; poſtea ſummæ integræ tantum detrahitur, quantum impendendum, ut prædium priſtinæ bonitati reſtituatur.

CONTRIBUTIONUM) Concedit Mev. *alleg. loc.* onera ordinaria, quæ quotannis ex fundo præſtanda, eſſe detrahenda. Tributa vero refert ad Extraordinaria, quia non ſemper eadem quantitate indicuntur; quia tamen multum confert ad æſtimationem prædii, an agros aliquot habeat immunes, freye Huſen / Ritterhuſen / non penitus negligenda erunt tributa; ſicut & detrahitur das Lehn-Pferd / vel ejus loco 60. Rthlr. qui ſortem efficiunt 1000 Rthlr. quanta ſors æſtimationi in genere detrahitur.

§. III.

Taxatione facta, opus eſſe videtur, ut citentur creditores, & taxatio publicetur, & quærendum, an bona mobilia & immobilia in ſolutum accipere velint, ſecundum taxationem factam, præſertim mobilia, an vero malint ſubhaſtationem petere rerum immobilium.

§. IV.

Si circa mobilia dationem in ſolutum malint amplecti anteriores creditores, illa eis adjudicanda; immobilia vero una cum taxatione haſtæ ſubjicienda, ſeu ſignificandum per edictum, illud vel illud prædium tanti æſtimatum venum exponi, ſi quis emere velit, debere ſuum nomen apud judicem profiteri, & licitari pretium intra certum tempus, & cer-

& certum locum, de qua proſcriptionis materia prolixe agit D. Joh. Phil. *de Subhaſt. c. 3. Comm. 2. per totum.* Quæ proſcriptio in loco judicii, & in quo bona immobilia ſita ſunt, per literas ſubſidiales publice affigi poteſt.

§. V.

Si offerat quidem licitator pretium minus dimidia pretii taxati, v. g. ſi ager ducentis thaleris æſtimatus, & licitator offerat nonaginta, in nonnullis judiciis licitatio hæc non acceptatur, nec ea licitatio publice notificatur, ſed expectatur, donec iſte vel alius dimidium pretii taxati, vel plus offerat, ut in Camera Brandenb. obſervari ſcio.

ACCEPTATUR) Et ſi ita res venderetur, locum habere poſſet remedium *L. 2. C. de reſcind. vend.* quia licet non potuerit reperiri melior emptor, non tamen ſequitur, quod non plus valuerit. Vid. Dn. Brunnem. *ad L. 16. C. de reſc. vend. num. 4.*

§. VI.

Quando autem quis licitatur pretium, quod non ſit infra dimidium, ſed ultra, tunc id per novam proſcriptionem denuo ſignificatur, an forte reperiantur alii, qui plus ſint licitaturi; & ſi alius promittat, illud tertia vice ſignificatur publice, an quis reperiatur, qui quid pretio, ſecunda vice oblato, addere velit, de quo Joh. Philipp. *d. tr. c. 3. comm. 13. num. 38. & ſeqq.*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Alibi quidem certum tempus primæ, ſecundæ, & tertiæ proſcriptioni eſt præfinitum, v. g. tres quaterdenæ; Jure Civili tamen eſt arbitrarium, poſt alios Philipp. *d. tr. c.* 3. *comm.* 20. *n.* 38. ne forte debitor, vel poſteriores creditores nimis graventur, feſtinata ſc. proſcriptione, qua in parte ſtylus judicii cujuscunque obſervandus, licet in cauſis piorum corporum, ac minorum, civitatum, fiſci, & ſimilium ſint 20. dies præſcripti. *Auth. Hoc jus porrectum. C. de SS. Eccleſ.* Dn. Philipp. *d. l. n.* 31.

ARBITRARIUM) Ratio hic habenda quantitatis bonorum diſtrahendorum, nam res magni momenti & æſtimationis inſignis, non æque cito emptorem reperiunt, & ſic longius ſpatium licitationis dandum.

§. VIII.

Ad licitandum autem admittuntur omnes, etiam ipſi creditores potiores licitantes, Johan. Philippi, *d. tr. C.* 3. *comm.* 10. & admittendi etiam liberi debitoris, a paterna hereditate abſtinentes. Phil. *d. tr. C.* 3. *comm.* 11.

IPSI CREDITORES) Modo ipſe creditor licitans tantum offerat, quantum alii; nec admittitur creditor ad licitandum tum demum; ſi extraneus licitet, ſed & ſi extraneus nemo concurrat: ſi enim creditor cum alio licitatore concurrens, potior eſt, per *L. 16. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* cur a licitando excluſus eſſet, ſi nemo alius in licitando concurrat. Vid. Auth. *ad L. 2. C. ſi in cauſa jud.* Poſt. *de Subhaſt. Inſpect. 32. n. 18.* Nec admittendam puto Mangilii ſententiam, quam habet in *Tr. de Subhaſt. qu. 154. n. 7. & ſeqq.* quaſi

quaſi creditori, nullis aliis licitantibus concurrentibus, res adjudicanda, non juxta pretium oblatum, ſed juxta veram æſtimationem; non enim debet deterioris conditionis creditor eſſe, quam extraneus emptor.

ABSTINENTES) Ejusmodi enim liberi cenſentur jure extraneorum. Abſtinens enim ſe hereditate, ratione defuncti extraneus eſt. Idem obtinet in liberis, qui cum beneficio inventarii paternam hereditatem adierunt. Mangilius. *qu. 119. num. 5.*

§. IX.

In licitatione is præfertur, qui majorem ſummam offert realiter; nam poteſt fieri, ut pretium aliquis offerat in ſpeciem majus, quod tamen in rei veritate minus, v. g. ego offero 1000. thaleros, ut ſtatim 500. & futuro anno 500. ſolvantur; alius offert 1200. ſed hac conditione, ut ſtatim ducenta, reliqua mille per terminos & ſingulis annis 100. ſolvantur ſine uſuris. Ille minus offert ratione moræ, & interuſurii temporis. In quo tamen primas deferrem arbitrio Judicis, ut is determinet, annon majus pretium in terminos diviſum potius admittendum, ut & poſterioribus, inter quos miſerabiles forte perſonæ exiſtunt, ſatisfieri poſſit, quæ tamen in audientia, ad quam creditores citandi, expediri commode poterunt.



Digitized by Google

MINUS OFFERTUR) E. G. Primus licitator offert 8000. fl. prænumerando 600. fl. zum Angelde & 150. fl. in annuos terminos; Secundus offert 5050. fl. prænumerando 3000. zum Angelde/ & 150. fl. auff jährl. termine. Hinc ſecundus in effectu plus offert. Alius caſus, primus offert 7000. fl. in parata pecunia, alter offert 16000. fl. ita ut ſolvat 3000. fl. zum Angelde und 350. fl. jährl. *Termine.* Hic primus, licet ne dimidium quidem offerat, in effectu tamen plus offert, propter interuſurium medii temporis, quos caſus, diſtincto calculo deductos, vide apud Carpzov. *P. 3. Dec. 275.*

§. X.

Si quis creditorum poſteriorum vellet licitari majus pretium, hac conditione, ut per hoc ſuum nomen ex parte poſſit compenſare in præjudicium priorum creditorum, exaudiri non debet, prout etiam *in noviſſimis Deciſionibus Saxon. dec. 71.* Juri communi convenienter decidit Saxo Elector, prout refert Philip. *d. tract. c. 2. comm. 12. num. 89.*

POSSIT COMPENSARE) Supponitur hic ejusmodi nomen, cui locus poſterior in ſententia prioritatis aſſignatus, ita ut creditor propter priorum creditorum jura, hoc obtinere non poſſit, fruſtra enim illud in compenſationem pretii oblati deducitur, quod quis in concurſu conſequi nequeat. Alia ratio eſt illius nominis, cui ejusmodi locus aſſignatus, ut ſolutionem certo ſperare poſſit creditor, hoc enim cum pretio licitationis omnino compenſari poteſt, cum compenſare ſit ſolvere.

§. XI.

§. XI.

Quod ſi plures ſint licitatores, qui idem pretium offerunt, quæritur, quis præferendus? Reſp. Creditorem extraneis præferendum; ſi plures ſint creditores, præfertur is, qui ſimul eſt cognatus; *L. Cum bona. 16. ff. de reb. auth. jud. poſſ.* ſi autem creditor cum agnato non creditore concurrat, ille potior eſt, *per notata ad L. 16. ff. de reb. auth. jud. poſſ.* Berlich. *p. 2. dec. 130. num. 11.* Inter plures creditores ille potior, qui majoris ſummæ eſt; ſi autem omnia paria, quis inter plures licitatores admittendus ſit, agit Joh. Philipp. *d. tract. c. 3. comm. 16.*

POTIOR EST) Ex quo apparet, ſolum jus ſanguineis prælationem non inducere, niſi jus crediti & ſanguinis concurrant. Sublatum enim eſt jus retractus conſangvinitatis, *L. Dudum. 14. C. de contrah. empt.* licet alia ratio in feudis, propter jus ſimultaneæ inveſtituræ.

ADMITTENDUS) Regulariter præfertur primus licitator, quia dum ſecundus nihil amplius obtulit, primus victus dici non poteſt. Anton. Matth. *de Auction. l. 1. c. 10. n. 18.* Si duo ſimul licitentur, gratificationi locum eſſe dicunt, ut Judex eligat unum, cui adjudicet, Phil. *citat. comm. 16. n. 3.* tutius tamen rem ſorti committi credunt.

§. XII.

Sed quæritur, an elapſis temporibus, ad licitationem a Statuto deſignatis, admittenda nova



Digitized by Google

licitatio? Opinio Jure Saxon. negatur. Carpz. *p. 1. C. 32. def. 40.* Sed Jure Civili in concurſu creditorum id non videtur dicendum; nam usque ad adjudicationem vel addictionem res permanent in meris tractatibus, & hic poſteriorum creditorum intereſt, ut quam maximo pretio vendi poſſit, ideoque putarem admittendam, niſi animoſa nimis ſit licitatio, quam calor licitantis ultra modum ſolitæ ac æquæ emtionis, aut conductionis inflavit, nam hic ſine cautione admittendus non eſſet. *L. Locatio. 9. ff. de publ. & vectig.* Joh. Philip. *d. tract. c. 3. comm. 15. per totum.*

INFLAVIT) Hoc contingit, ſi quis ex invidia licitanti rem relinquere nolit, vel ob vicinitatem potius cum damno ſuo emere, quam alium vicinum admittere velit. Hoc caſu cavere debet de ſolvendo pretio intra certum tempus, ne, dum alii licitatores excluduntur, hic vero poſtea ſolvendo moras nectit, creditores damnum patiantur. Quamvis interdum etiam animoſus licitator ad juramentum adſtringi poſſit, ſe non doloſe tantum pretium offerre. Phil. *d. comm. 15. n. 21.*

§. XIII.

Tandem illi licitatori, qui maximum obtulit pretium; & inter pares, qui ex alio capite potius jus habet, vel meliores adfert conditio-

tiones, vel plus ſecuritatis præſtat, res addicenda, & ita venditio perficitur, & res poſtea tradenda; per quam addictionem omnia jura realia, quibus res creditoribus poſterioribus, imo omnibus aliis obligatæ erant, tolluntur, & hypothecæ extinguuntur, & ſecurus redditur emptor, Carpzov. *p. 1. C. 28. def. ult.* Sicut etiam ſecurus redditur, ſi dum adhuc nonnulli priores creditores in aliquo puncto ſuſpenſo dimicant, apud Magiſtratum pretium depoſuerit, Carpzov. *d. l. def. pen.* ad quod faciendum eo caſu omnino tenetur, per tradita Mev. *part. 2. Deciſ. 171.* Sed quibus res vendita obligata erat, non amittunt actionem perſonalem contra ipſum debitorem, ſi aliquando alia bona in poſterum acquiſierit: imo hypothecarii creditores, qui ſua nomina non profeſſi, & ita excluſi ſunt, actionem tamen perſonalem contra debitorem, ſi forte ad meliorem ſtatum pervenerit, retinent, per tradita Salgad. *in Labyr. Cred. P. 1. C. 7. num. 17.*

RETINENT) Non puto, quod tantum perſonalem actionem retineant, ſed etiam hypothecariam ſalvam habere, ratione bonorum, quæ in poſterum acquiſiturus. Sicut

enim hypotheca generalis ſe non tantum extendit ad bona præſentia, verum etiam ad futura, ita, licet præſentia bona ab aliis creditoribus occupata, ſalva tamen manet hypotheca ratione illorum, quæ de novo acquirit debitor.

§. XIV.

Quod ſi vero bona ſubhaſtata emptorem nullum reperiant, tunc tenentur creditores ipſi accipere bona in ſolutum, *per Auth. Hoc niſi debitor. C. de ſolut.* quæ datio in ſolutum vocatur neceſſaria. Salgad. *d. tract. p. 3. c. 2. num. 60.* & Joh. Philip. *d. tract. C. 3. comm. 17. numer. 2.* Quæ datio in ſolutum, in Pomerania, non tantum reſpectu fructuum, ſed etiam ratione ſubſtantiæ feudorum fit, ut declaravit *Regia Svecica Camera de an. 1645. die 12. Martii. ibi:* Es iſt an dieſem Königlichen Hoff-Gerichte und ſonſt bekant/ daß in Schuld- und *Execution*-Sachen ohne Unterſchied/ ob die Schuld mit Fürſtl. oder der Agnaten *Conſens* gemacht ſey/ oder nicht/ die *Immisſiones* nicht nur in *Fructus Feudorum*, ſondern in *Feuda ipſa* verrichtet/ die angewieſene Lehn *æſtimiret*, und wenn in der dazu beſtimten Zeit keine *Relui*tion erfolget/ *in ſolutum addici*ret werden.

DA-

DATIO IN SOLUTUM) De qua materia vid. *Diſſ. de Beneficio dationis in ſolutum, quæ extat Volum. 1. Diſſ. IX.*

FEUDA IPSA) Alibi vero, quo caſu debitum non afficit ipſum feudum, tantum in fructus feudi immittuntur creditores.

§. XV.

In Marchia noſtra, quando licitatoribus, vel ipſis creditoribus addicenda bona feudalia, prius vocandi agnati ſimultanee inveſtiti, an illi forte emere velint; quibus id negligentibus, tandem dantur in ſolutum, & quidem illis, qui civici ordinis ſunt, tantum cum pacto de retrovendendo intra certum tempus, *per Receſſ. Provincial. ann. 1653. Part. poſterior. §. 2. ibi:* Wenn die Lehn-Güther / in Manglung eines andern Käuffers / einem Bürger müſſen zugeſchlagen werden / ſo haben Unſere Räthe im Cammer-Gericht / und andern Unſern *Tribunalen* dahin zu ſehen / daß der *Contract* auff einem Wiederkauff *ad aliquot annos* und vielmehr auff wenige / denn viele Jahre / wie ſichs immer wil thun laſſen / eingerichtet werde.

IN MARCHIA NOSTRA) Diſtingvendum inter debita a vaſallo contracta ante annum 1653. & quæ poſtea contracta. Propter illa fit indiſtincte executio in ipſam ſubſtantiam feudi, ſicut monuit ante Autor de Pomerania, quia tunc temporis feuda Marchica adhuc æri alieno erant

erant obnoxia; ſed in debitis poſtea contractis, aliud obtinet, & idem quidem, quod Jure communi, de quo Aut. §.16.

§. XVI.

Jure Communi autem ob debita feudalia, ſeu cum conſenſu domini, vel in utilitatem feudi contracta, vel quæ fundum ipſum afficiunt, ut dos ſoluta, feudum ſolum vendi poteſt, ſed cum conſenſu domini; & ob alia debita diſtrahi non debet, ſed tantum datur feudum, vel particula feudi fruenda, donec debitor vaſallus cum ſua progenie vivit. Roſenthal *de feudis c. 9. Concl. 16.* Struv. *in Syntag. Jur. Feud. c. 14. aphor. 32.*

PROGENIE) Scil. maſcula: filii enim in feudum ſuccedere non poſſunt, niſi acceptato ſimul allodio, & eapropter æs alienum defuncti agnoſcere tenentur. arg. 2. *Feud. 45.*

§. XVII.

Jure Communi nulla datur debitori facultas reluendi bona diſtracta, *per L. Si quos. 16. C. de reſcind. vend. L. fin. C. ſi propt. publ. penſ. vend.* Damhoud. *de ſubhaſtatione. c. ult. n. 37.* Carpzov. *l. 4. R. 8. num. 1.* Sed in foro Electorali Saxon. habet debitor annale ſpatium, intra

quod

quod reluere poſſit. Carpz. *dict. Reſp. 8. n. 2.* & *p. 1. C. 32. d. 17.* Quod nec illi debitori, qui bonis ceſſit, de quo hic loquimur, denegandum tradit Joh. Philip. *d. tract. C. 4. Commat. 13. n. 21.* ubi in ſeqq. id limitat.

ANNALE SPATIUM) Hoc tempus non tantum indultum debitori, ut ipſe reluat, ſed etiam, ut interim pinguiorem emtorem ſubſtituat, qui majus pretium offerat. Berlich. *P. 1. Concl. 81. n. 191.* Hoc caſu tamen creditori facultas competit, idem pretium, quod pinguior emtor offert, ſolvendi, & ita rem retinendi. Phil. *cap. 4. comm. 13. num. 66.*

DENEGANDUM) Per ceſſionem enim non deſinit eſſe debitor, & hinc nec beneficiis, debitori competentibus, privandus.

LIMITAT) Limitatur (1.) ſi extraneus emat; jus reluendi enim tantum competit, ſi emat unus ex creditoribus. Carpz. *d. Conſt. 32. Def. 58.* Limitatur (2.) ſi Judex prævia æſtimatione uni creditori rem in ſolutum addicat. Carpz. *Def. 59.* (3.) Si res non ad primam licitationem vendita, ſed poſt iteratam ſubhaſtationem plus offerenti aſſignata. Carpz. *d. Def. 59. n. 6.* (4.) In ſubhaſtatione mobilium, quæ reluitioni non obnoxia. Carpz. *d. loc. Def. 34. n. 8.* (5.) Si ipſe debitor ſine ſubhaſtatione, creditori rem in ſolutum dederit; ſic enim ſe læſum dicere nequit. Carpz. *Def. 60.*

§. XIIX.

Creditores ad evictionem non tenentur, bonis ſub haſta venditis, *tot. tit. C. Cred. evict. pign. non debere.* neque judex tenetur, Joh. Phi-

U lipp.

Digitized by Google

lipp. *d. tr. C. 4. commat. 17. n. 3.* quia officii ratione vendit; ſed ipſe debitor ad evictionem obligatur, quia factum Judicis reputatur factum partis. *L. 13. C. de Evict.* Verum quia regreſſus contra debitorem, qui bonis ceſſit, foret inanis, ideo apud nos receptum, ut quilibet creditorum, quibus ex pretio ſolvitur, pro rata accepti, evictionis præſtationem promittat, ut plene ſecurus reddatur emptor.

NON TENENTUR) Hoc eſt, non obligantur ad intereſſe propter rem evictam. Conf. *L. Si pignora. 50. ff. Locat.* Tenentur tamen ad pretii refuſionem. Poſt. *de ſubhaſt. Inſpect. 63. num. 44.*

§. XIX.

Illud ſane certum, per hanc addictionem non extingui prædiorum onera perpetua & intrinſeca, quæ a poſſeſſoribus ſolvenda, ut ſunt cenſus, penſiones, laudemia, ſervitutes, jus directi dominii in bonis Emphyteuticis, quia talia jura reſervata intelliguntur in venditione ſub haſta. Philipp. *C. 4. commat. 18. num. 32.* Nec igitur ad evictionem obligatur vel debitor, vel creditores, quia fundus, qualis eſt, venditus, niſi creditores, eum fundum liberum promiſerint

Digitized by Google

rint ab omnibus oneribus ordinariis, & extraordinariis, & ſervitutibus.

OMNIBUS ONERIBUS) Hoc pactum tamen non liberat emptorem, quo minus ille fiſco, alia onera exigenti, teneatur, cum in præjudicium fiſci ita paciſci non liceat per *tit. C. ſine cenſu.* Servitutes quod attinet, non aliter ob eas tenetur venditor, quam ſi fundus ut optimus venditus. Vid. *L. penult. ff. de evict.*

§. XX.

Interdum quiddam de reditibus relinqui ſolet debitoribus, licet omnibus creditoribus non ſatisfiat, v. g. ſi Civitas Concurſum patiatur, ſolent excipi ſalaria neceſſaria adminiſtratorum & miniſtrorum. Carpz. *p. 3. dec. 278.* Et in feudis Vaſallo tantum relinqui ſolet, ut onera feudi Domino præſtet, vel ipſe creditor ad id compelli poteſt. Vid. Roſenthal. *C. 8. concl. 5.* Deinde vulgo Nobilibus tribuitur beneficium competentiæ, ne egeant, Carpz. *p. 1. C. 32. def. 15. & p. 2. C. 25. Def. 6.* quod tamen apud nos non obſervatur. Interdum etiam ob morbum debitoris, vel ad filias elocandas quid detrahitur, quod conſiſtit in voluntate creditorum.

RELINQUI SOLET) Hoc tunc obtinet, ſi in fructus feudi fiat executio ob debita non feudalia. Quod ſi debita feudalia ſint, etiam in feudi ſubſtantiam executio fiat,



Digitized by Google

ut in Pomerania, §. *14.* h. e. tunc vaſallo nihil ex feudo relinquitur, ſed is, cui feudum aſſignatum, tenetur ad onera.

NON OBSERVATUR) Nec in puncto juris probari poteſt, cum exemplum a milite ad Nobiles, in jure ſingulari non admittatur.

§. XXI.

Quod ſi nonnullis creditoribus ſatisfieri non poſſit, tunc illi interdum remittuntur ad alia bona immobilia, vel reditus annuos reales, quos debitor in alia Provincia poſſidet, nam ea in concurſum hic excitatum non veniunt, ideoque creditoribus jura ſua integra ſervanda.

INTEGRA SERVANDA) Quod ſi & talia bona, ad quæ fieri poſſit remiſſio, non amplius ſuperſint, non tamen eapropter diſſolvitur obligatio creditorum, ſed in ſuſpenſo manet, donec iterum bona acquiſiverit debitor. *Cap. Odoardus. 6. X. de ſolut.* Salgad. *in Labyr. Cred. Part. 3. c. 16. n. 63.*

§. XXII.

Interdum traditio prædii, & pretii numeratio differuntur, ob dotalitium viduæ in feudo aliquo cum conſenſu Domini conſtitutum, nam cum poſſeſſione dotalitii deſtitui jure non poſſit, in poſſeſſione hac defendenda eſt, donec vivat, & ita prædium, in quo dotalitium, vendi, vel emtori tradi nequit.

NON

Digitized by Google

NON POSSIT) Intelligendum hoc eſt, ſi non hujus generis creditores adſint, qui etiam doti præferantur; ſi enim hoc, etiam dotalitio præferuntur, & hinc uxor ratione illorum prælationem prætendere nequit.

§. XXIII.

Qværitur, quid ſi reperiatur res, quæ per ſubſtitutionem fideicommiſſariam relicta eſt tertio, an interim creditori dari poſſit in ſolutum? Et hoc affirmandum, ita tamen, ut ad vitam debitoris poſſideat creditor, & fructus percipiat, in perpetuum vero, ſi forte fideicommiſſarius præmoriatur: ſicut etiam publicatione prædii facta, non eſt locus fideicommiſſo, ſed interim apud Fiſcum manet, donec mors naturalis ſequatur. *L. 48. ff. de jure fiſci. & ibi a me notata.*

VITAM DEBITORIS) Quousque tamen ex tali fideicommiſſo debitori competit detractio quartæ Trebellianicæ, eatenus ipſi creditores, pro hac quarta etiam proprietatem bonorum, fideicommiſſo obnoxiorum, prætendere poſſunt.

§. XXIV.

Subhaſtationi, vel toti proceſſui poteſt opponi nullitas, ſi quis creditorum, vel ipſe debitor, nulliter vel in proceſſu liquidationis vel executionis, proceſſum eſſe probaverit, quod



Digitized by Google

procul dubio indiſtincte allegandi probandum, cum præſumtio ſit pro Judice, quod rite proceſſerit, Joh. Philipp. *c. 4. commat. 20.* qui tamen capite ſequenti, ex formatione libelli id dijudicandum tradit, ut, ſiquidem actor alienationem nulliter factam eſſe in libello dixerit, hoc tanquam intentionis fundamentum probare teneatur; Secus ſi hoc omittat, & tantum ignorantiam ſuam, qua ratione alienatio facta ſit, prætendat: ita reo juſtificationem alienationis incumbere, dicit Philipp. *d. l. n. 6.* quod ipſum mihi dubium eſt, quia nemo titulum ſuæ poſſeſſionis probare tenetur. *L. 11. C. de petit. hered.*

§. XXV.

Deinde opponi ſolet remedium *Legis. 2. Cod. de reſcindenda vend.* quod remedium Dd. communiter etiam in hac venditione ſub haſta admittunt. Carpz. *lib. 4. Reſp. 1. n. 2.* Damhoud. *de ſubhaſtat. c. 3. n. 12.* Non enim ſub nomine ſubhaſtationis publicæ locus relinquendus eſt licitatorum fraudibus. *arg. L. 16. C. de reſcind. vendit. L. 9. ff. eod.* Sed id locum hic

non

non habet, ſi dolus non adfuit, ſi omnia rite acta, præſertim ſi æſtimatum prædium, & æſtimatio illa a debitore ac creditoribus approbata, & ultra dimidium licitatio facta. Præſumptionem enim doli excludit ſubhaſtatio, Menoch. *lib.* 2. *præſ.* 75. adeo, ut contrarium alleganti, incumbat liquida doli probatio. Berlich. *Dec.* 126. *in fin.* Faber, *in C. de bon. autor. jud. poſſid. def.* 6.

ULTRA DIMIDIUM) Si infra dimidium licitatio facta, non opus eſt probatione doli, ſed ſufficit læſio enormisſima. Quod ſi vero ultra dimidium licitatio facta, non reſolvitur contractus ob dolum, ſed purgatur dolus actione empti, *L.* 13. *§.* 4. *ff. de act. empt.* niſi dolus cauſam dederit per *L.* 7. *pr. ff. de dolo malo.*

§. XXVI.

Demum quæritur, annon facta diſtributione, ob novum inſtrumentum repertum, aliquis poſſit addictionem prædii, vel diſtributionem pretii impugnare, v. g. Eſt aliquod inſtrumentum, quo hypotheca mihi conſtituta, ante omnia alia credita; ſed id documentum, diſtributione jam facta, demum accepi, quia detentum id fuit a malitioſo homine, nec potui id conſequi, neque ulla negligentia, vel culpa mea inter-

intervenit: Et hoc caſu ob ignorantiam facti probabilem, & invincibilem datur reſtitutio etiam poſt centum annos, *per L. 1. ff. ex quib. cauſ. maj. & ibi notata. n. 4.* ita ut contra poſteriores creditores, qui partem pretii acceperunt, agat. Si tamen allegans reperturam novam eam probet, & inſuper juramentum præſtet, quod ignoraverit, ubi illud documentum forte fuerit, & quod citius id conſequi non potuerit, quod interdum ab heredibus præſtatur, mortuo parente, qui ad juramentum ſe obtulit, ſed ſuper credulitate, quod credant, patrem ignoraſſe id documentum, & quod nulla ratione potuerit indagari, donec tandem caſu in manus patris venerit.

DATUR RESTITUTIO) Hæc ſententia dubia eſt, quia ob inſtrumenta noviter reperta res judicata non reſolvitur, *L. 4. C. de re jud.* Ergo hoc intelligendum vel de caſu, ubi inſtrumenta dolo adverſarii occultata, *L. 29. C. de transact.* vel de creditore, qui ignoravit creditum ſuum, & ita penitus nomen ſuum in concurſu non profeſſus; huic enim, cum in lite non fuerit, ob ignorantiam crediti, præjudicare res judicata nequit.

§. XXVII.

Eccleſiæ etiam ob debitum hypothecarium non liquidatum, contra creditores poſteriores, quibus

Digitized by Google

quibus pretium ſolutum, ſuccurri per reſtitutionem in integrum, tradit Joh. Philipp. *d. tr. c.* 4. *comm.* 23. *n.* 8. *& ſeqq.* quod intelligo, ſi Oeconomi vel Adminiſtratores non ſolvendo ſint, aut juſta hujus nominis ignorantia. Quæ reſtitutio in integrum contra venditionem ſub haſta omnibus illis competit, non qui læſi, ſed quibus alias ob læſionem Jure Communi reſtitutio indulta; quales ſunt minores, *tot. tit. ff. de Minor.* Et Reipubl. vel alia juſta cauſſa abſentes, *tot. tit. ff. ex quib. cauſſ. major.* Ludov. Poſt. *Tract. de ſubhaſt. Inſpect.* 77. *n.* 8. *& ſeqq.* ubi tamen quoad minores pariter neceſſum eſt, ut a Curatoribus rem ſuam ſalvam habere non poſſint. *arg. L. Properandum.* 13. §. *fin. C. de jud.*

MINORES) Qui etiam contra actus, in quibus intervenit decretum Judicis, reſtituuntur, per *L.* 2. *C. ſi tutor vel cur. interven.*

CURATORIBUS) Quamvis enim alias electio minori competat, an contra tutorem agere, an reſtitutionem in integrum petere velit, *L.* 3. *C. ſi tut. vel cur.* ubi tamen per ſententiam res uni adjudicata, non aliter ſuccurritur, niſi a curatore ſuum conſequi non poſſit. Actus enim judiciales ſeu res judicatæ non æque facile reſcindendæ per *d. L.* 3. Conf. *L. Properandum.* 13. §. *ult. C. de judic.*

---

## APPENDIX.

QUid juris ſit, ſi hypotheca prioris creditoris, ſpecialem habentis, a prioribus creditoribus generalem habentibus, fuerit ablata, an ille ſequentem creditorem, pariter ſpecialem hypothecam habentem, excutere poſſit, ex ſequenti

 Facul-

Facultatis Reſponſo apparebit *de Anno 1684. d. 28. Auguſt.* Auff die uns zugefertigte Frage / darüber unſer in Rechten gegründete Belehrung begehrt worden. Ob nehmlich / wann in einem Priorität-Urtel die *Creditores* in gewiſſer Ordnung geſetzet / und zweene derſelben / ſo *ſpecial Hypothe*cken haben / auff einander folgen / des vorgeſetzten *Creditoris ſpecial-Hypotheck* aber / zu ſeiner Befriedigung nicht zureichet / er befugt ſey / des folgenden *Creditoris ſpecial Hypotheck* anzugreiffen / und daraus ſeine Bezahlung zu ſuchen? Erachten wir Decanus &c. Nach genugſamer Erwegung der Sachen vor recht.

Ob gleich ſonſt einem *Priori Creditori hypothecario* zugelaſſen / aus des *Debitoris* Güthern nach Belieben ſeine Zahlung zu ſuchen / ungeacht ſie dem folgenden ſpecialiter verpfändet / weil aber ſolches nur bloß *in Generali Hypotheca priori* angehet / als wodurch alle des *Debitoris Bona affici*ret werden; und itzo *de ſpeciali Hypotheca* gefraget wird / von welcher bekant / *quod ultra rem oppignoratam ſe non extendat*, und alſo ein *Creditor* weiter nicht / als nur *ad valorem hujus hypothecæ* ein *Jus reale prædenti*ren kan / allermaſſen bekant / *quod obligatio ſpeciei non egrediatur ſpeciem*, und alſo ein ſolcher *Creditor* wegen der Ubermaſſe ein bloſſes *jus contra perſonam debitoris agendi* behält / ſolches *Jus* aber nicht anders / als *pro Chirographario* geachtet werden mag / daher auch die Dd. ſolchen *Creditorem* / ſo weit ſeine Foderung *Æſtimationem Hypothecæ excediret* / *ad Claſſem Chirographariorum* verweiſen / wie ſolches mit Præjudiciis beſtättet Richter. *de Privileg. Creditor. cap. 9. n. 11.* Darwieder die *in Sententia Prioritatis* geſchehene *Claſſificatio* nichts verfangen kan / maſſen daſelbſt *ſupponi*ret wird / daß Er aus der *ſpecial Hypotheck* bezahlet werden könne / in deſſen Mangelung die *Sententia ſecundum Jura interpreti*ret werden muß. So halten wir davor / daß der vorgeſetzte *Creditor* des folgenden *ſpecial Hypotheck* anzugreiffen nicht befuget / ſondern Er iſt wegen deſſen / was ihm über den Werth ſeiner *ſpecial Hypotheck* gebühret / *ad Chirographarios* zuverweiſen.

V. R. W.

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google

# IOACHIMI CHEMNITII,

Quondam

Conſiliarii Electoral. Brand. & Conſiſtorii

PRÆSIDIS,

DISSERTATIO INAUGURALIS

*DE*

# JURE PRAELATIONIS CREDITORUM,

*Francof. d. XV. Dec. Ann. M DC XXV. habita.*

Digitized by Google

# IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI!

# IOACHIMI CHEMNITII,

Quondam

Conſil. Electoral. Brand. & Conſiſtor.

PRÆSIDIS,

DISSERTATIO

*DE*

# JURE PRÆLATIONIS CREDITORUM.

## PROOEMIUM.

PRopoſitum nobis erat in Diſputatione de pignoribus & hypothecis, non ita pridem habita, agere quoque de Jure Prælationis Creditorum, dum hæc materia materiæ pignorum maxime cohærere videbatur, ſuper pignore enim inter creditores, quis ſit in eo potior, plerumque contenditur: attamen cum hoc jus adeo evagetur, & tam amplum ſit, ut tunc una cum materia pignorum examinari non potuerit, illud ad Diſputationem hanc reſervandum duximus; de eo igitur ordine jam videbimus, omniaque ea, quæ commode huc referri poſſunt, perſequemur; dabimus tamen operam, ut brevioribus arctioribusque metis illud concludamus.

THE-

Digitized by Google

# THESIS I.

DEfinire placet Prioritatem Creditorum per Jus, quo alter alteri in ſolutione præfertur.

2. Creditorum diviſio; quæ maxime ad propoſitum noſtrum pertinet, hæc eſt, quod quidam ſint, qui habent jura realia dominii vel qvaſi, & vindicatione rei experiri poſſunt; Quidam privilegiata ex Jure, partim communi, partim ſtatutario, exigunt debita: Quidam privilegia realia habent, puta hypothecas: Quidam habent privilegia perſonalia: Quidam ſunt Chirographarii ſeu creditores perſonales ſimplices.

## I. CLASSIS.

3. CReditores primi ordinis, habentes ſcilicet jura dominii vel quaſi, bona ſua, ſi extant, ante omnes alios creditores, ut domini recipiunt, *L. 1. C. de priv. fiſci.* Benevent. Stracha *tract. de mercat. in tit. de decoct. in part. ult. tit. qui pot. in bon. decoct. hab. num. 16. verſ. in ſumma ex verbis.* Quia de alienis, quæ ad debitorem non pertinent, creditoribus debitoris ſolutio fieri nequit. Ludovic. Molin. *tr. 2. de juſtit. & jur. diſp. 499. n. 30.*

4. Tales ſunt: I. Deponens. *L. Si hominum. 7. §. Quotiens foro. ibi.* primo loco. *ubi Dd. comm. depoſ.*

5. Et eſt depoſitum tantopere privilegiatum, ut neque compenſationem, neque deductionem admittat, quin illico depoſitori ſit reſtituendum. *L. Si quis. & ibi Gl. junct. Auth. Sed jam. C. depoſ.*

6. Hoc autem privilegium Prælationis competit, ſi deponens dominium rei depoſitæ non tranſtulit, ut quia forte pecuniam in ſacculo depoſuit, &c. *L. Si ſacculum. depoſ.*

7. Qvod ſi dominium in accipientem tranſtulerit, etiamſi pecunia reperiatur in bonis decoctoris, tamen de eadem, ut de aliis ipſius bonis, judicatur. Paul. de Caſtro, *ad L. Si ventri. §. In bonis. ff. de priv. cred.*

8. Cum modo dicto privilegio depoſiti magnam quandam affinitatem habere pecuniam, ex cambio ad aliquem translatam, Wechſel-Geld / & proinde idem huic, quod illi privilegium competere, notat Andr. Perneder. *lib. 3. Inſtit. tit. 15. §. Præterea & is,*



Digitized by Google

*apud quem. verſ. Item* das hinterlegt oder zu behalten gegeben Gut *&c. per d. L. 7. §. pen. & ult. cum L. ſeq. ff. depoſ.*

9. Verum nos in cambio dominium pecuniæ hinc inde datæ ſtatim transferri ſtatuimus, & proinde ex hoc titulo petentibus nullum prælationis privilegium adſignamus, ſed habita ratione juris, quod pro hoc debito ſibi acquiſiverunt, hypothecæ forte vel chirographi ad hunc vel illum creditorum ordinem eos ablegamus. Facit *text. in L. 4. C. de rer. perm.*

10. II. Hoc jus vindicandi habent & domini in iis rebus, quas creditori commodarunt & locarunt; & in hoc conveniunt depoſitum & commodatum, facit arg. interdicti prætorii, *L. 2. de migr.* commodans enim rei commodatæ poſſeſſionem, & proprietatem non admittit. *L. 8. cum L. ſeq. commod. §. 2. Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.* Ratione locatoris etiam facit. *text. L. 25. & L. 34. ff. de locat. & cond. & L. 11. §. 3. ff. locat.*

11. Verum de Jure Saxon. in commodante contrarium ſtatuitur, ut apparet *ex text.* Land-Recht / *L. 2. art. 60. Vid.* Fach. *diff. 1.* a quo tamen, utpote juſta & rationabili cauſa deſtituto, praxis receſſit. *d. diff. 1. in fin.*

12. III. Idem dicendum eſt de eo, qui precario rem conceſſit. *L. 4. §. 3. L. Et habet. 15. & t. t. de prec.*

13. IV. Pupillus in re ſua pupillari extante habet prælationem, & rei vindicationem præ omnibus aliis creditoribus. Bart. *ad L. Idemque. qui pot. in pign.*

14. Quin etiam pupilli, minores, milites, in rebus, ſua pecunia emptis & extantibus, omnibus aliis creditoribus præferuntur. *L. 52. verſ. Plane. ff. de pecul. L. Si, ut proponis. C. de rei vind. infr. th. 190.*

15. V. Mulier in Dote, paraphernalibus, nec non in re, ſua pecunia empta, ſi eæ res extant, præfertur omnibus, & habet rei vindicationem. *L. In rebus. C. de jure dot. L. 1. C. de priv. fiſci. L. Res, quæ. 54. de jure dot.* Rip. *in L. 1. n. 20. in quib. cauſ. pign.*

16. VI. Venditor in re vendita, ſi fidem de pretio non habuit, vel dominium rei venditæ ſibi usque ad plenam ſatisfactionem reſervavit. *L. Procuratoris. §. Sed ſi dedi. de trib. act.*



Digitized by Google

17. Hoc enim modo venditio fieri poteſt, licet alias pactum ſimpliciter adjectum in venditione, ut dominium non tranſeat ad emptorem, non valeat. *L. Cum manu ſata.* §. *Si. de contr. empt.*

18. Quod ſi mercator, emens merces, cogitaverit de fuga, vel eſt fugitivus, vendens non cenſetur in illum dominium tranſtuliſſe, licet fidem emptoris ſecutus fuerit.

19. Quia tali caſu fides non habetur pro fide, *arg. L. 3. & ibi* Angel. *L. Si cum dotem.* §. *ult. & ibi* Bald. *n. 2. in fin. ſol. matr.* cum emptor fraudulenter egerit. *L. Si quaſi. de pign. act. Vid. infr. th. 199.*

20. Fraus autem illa ex brevitate temporis probari poteſt, ſi forte emptor ſequentibus diebus fugam arripit. Angel. *in L. Quod vendidi. de contr. empt.*

21. Similiter, ſi quis merces ſuas alicui vendendas tradiderit, nec de illis in creditum abierit, mercibus adhuc apud illum, qui eas vendendas acceperit, extantibus, dominus mercium præ cæteris creditoribus illas vindicare poteſt. *L. Procuratoris.* §. *Sed ſi dedi. de trib. act.*

22. VII. Bona filiorum adventitia in concurſu creditorum a rebus patriis primo omnia ſeparanda, iisque ut propria relinquenda, *arg. tit. de ſeparat.* ſive per ſucceſſionem, ſive per donationem ad ipſos devoluta fuerint. *d. L. Si quis prioris.* §. *1. C. de ſecund. nupt. Schurff. conſ. 56. cent. 1.*

23. Hinc munuſcula recens baptizatis infantibus oblata, item ſtrena, &c. Götel oder Paten-Geld / Neu-Jahrs-Geld / jure dominii ad liberos pertinent, prout a Facultate Jur. hujus Academiæ ita reſponſum 2. Julii, Anno 1621. Unde ſi pater, ea detinens, ob debita ad interitum vergat, nullo jure filiis auferri, & reliquis creditoribus adjudicari poſſunt. *d. tit. de ſepar.*

24. Quod ſi extraneo cuidam iſtiusmodi pecunia a parentibus mutuo fuerit data, vel etiam ipſi liberi majorennes, ut commodum aliquod inde haberent, eam utendam fruendam alicui conceſſerint, & poſtmodum is, cui conceſſa fuit, ære alieno obrutus, bonis cedat, eo caſu ceſſat hoc privilegium.

25. VIII. Idem dicendum eſt de eo, cui res furto ſublata eſt. Nam & in furto dominium rei apud eum, cui fit, manet, nec per

furem

Digitized by Google

furem intervertitur, *L. 1. & L. Si pro fure. §. 1. de cond. furt. L. 1. §. 17. ſi is, qui teſt.* textus eſt elegans *in §. fin. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

26. Unde etiam eſt, quod res furtiva ei, cui ablata eſt, reſtitui debeat, *arg. L. Si captivus. 20. §. 1. de capt. & poſtlim. rev.* Et quidem ſine refuſione precii ab emptore ejus dati. *L. 2. C. de furt. L. 3. & 23. C. de rei vindic. L. 1. in fin. C. de præſcript. 30. ann. L. 16. C. de evict.* Peinlich Hals-Gerichts-Ordnung / *c. 213. ib.* ohne Beſchwerung. *& c. 214. ib.* Niemand nichts ſchuldig ſeyn. Quin imo ſi fur ipſe ob reſtitutionem rei aliquid acceperit, illud condictione ob turpem cauſam repeti poteſt. *L. 6. & 7. C. de condict. ob turp. cauſ.* Ideo nec ſtatutum de re ablata non reſtituenda valet. Landr. *L. 2. art. 25. in Gl. n. 4. cum ſeqq. art. 31. eod. lib.* P. H. O. *Carl. V. conſt. 28. ibi:* und hinfüro (*irrationales ſcilicet hujusmodi conſvetudines*) nicht eingeführet werden ſollen. *Schneid. in §. fin. I. de obl. ex del.*

27. IX. Sic debitor dominus pignoris manet, etiamſi illud creditori tradat, *L. Reſcriptum. de diſtr. pign.* unde ſi in bonis creditoris ſui, res ſua oppignorata invenitur, ſub hoc ordine creditorum recte computatur, quando ſcilicet ſolutione debiti pignus liberatum, aut adhuc liberare debitor paratus eſt.

28. Eum autem, qui indebitum ſolvit, in repetitione indebiti quidam ad hunc ordinem creditorum referunt: verum cum indebitum ſolutum repetens habeat actionem perſonalem, condictionem ſcilicet indebiti, facile conſtat, eum ſub hoc ordine creditorum computari non poſſe.

29. Ad condictionem autem indebiti obtinendam neceſſum eſt, ut errore indebitum ſolutum ſit, *d. §. 1.* & quidem ignorantia facti, non juris. *L. Cum quis. 10. C. de jur. & fact. ignorant.*

30. Sin ſciens ſolverit indebitum, nil conqueri poteſt, *L. 1. de cond. ind.* verum donaſſe cenſetur, *L. Cujus. 53. de R. J.* quippe ſcienti dolus non fit, neque injuria. *C. Scienti. de R. J. in 6.*

31. Diverſum tamen eſt in minore, *L. 29. de cond. ind.* muliere damnum ſentiente. *L. 13. C. de jur. & fact. ign.*

32. X. Præterea heres, qui hereditatis petitione agit, aliis creditoribus præfertur. *L. fin. §. Donec. 11. C. de jur. delib.*

33. Tene-

Digitized by Google

33. Tenetur tamen heres poſtea creditoribus defuncti ſatisfacere, & quidem in ſolidum, etiam ultra quam facultates defuncti fuerint, niſi beneficio inventarii adierit hereditatem, tunc enim non plus ſolvere tenetur, quam accepit. *L. fin. §. 1. & ſeqq. C. de jure delib. §. Extraneis. & ibi* Vigl. Zuichem. *I. de her. qual. & diff.*

34. Secus tamen eſt de Jure Saxon. quo heres etiam inventario non confecto, ultra vires hereditatis non tenetur. *art. 6. l. 1.* LandR. Göden. *conſ. 15. de ſucceſſ. feud.*

35. XI. Si filiusfamilias contra ſenatusconſultum Macedonianum mutuatus pecuniam ſolverit, patri, nummos vindicanti, nulla exceptio a reliquis creditoribus objicietur. *L. Si filius familias. ſi cert. pet.* Et in ſumma, locum habet regula, in th. 3. adducta, in omnibus iis, qui rei vindicationem tanquam domini habent, per *L. Quintus 27. §. Argento. de auro, arg. leg.* Rip. *in L. Si ventri. § In bonis. n. 10. de priv. cred.*

36. Cæterum de creditoribus primi hujus ordinis in genere notandum, quod ſint, qui & illis præferri poſſunt, hi nimirum, qui ad conſervandam cujusque rei ſubſtantiam ſumptus neceſſarios fecerunt. *L. 8. v. fin. depoſ.* Bart. *in L. 7. §. Quotiens ad fin. eod. tit.* Imo retentio conceditur hoc caſu, ſi ſunt res, quæ propter hujusmodi expenſas retineri poſſunt, Petr. Rebuff. *in priv. univerſit. 19. ad fin. per text. L. 33. in fin. ff. de condict. ind. L. 8. in pr. ff. de pign. act. L. 14. ff. de dol. mal. except.* niſi expenſæ adhuc ſint illiquidæ, & dominus rei cautionem ratione futuræ refuſionis in continenti offerat, per text. *in L. fin. C. de commod.* Br. *in L. Cum ſervus. ff. de condit. & demonſtrat.* Benintend. *deciſ. 77. n. 5. & ſeqq.*

37. Et licet ſint, qui *d. L. 8.* tantum de depoſitario intelligunt, *Gl. ad d. L. 8.* verior tamen opinio eſt, eam in genere de omnibus neceſſariis ſumptibus loqui, quod docent verba: *ſemper præcedit*, &c. & colligitur *arg. L. Scimus. §. In computatione. C. de jure delib.*

38. Unde quod creditor præſtat pro re obligata, utpote tributa, collationem ad muniendas vias, aliudve quodlibet neceſſarium, debitum adauget; pignusque retinere poteſt non tantum pro debito, ſed & pro eo, quod ſolvit pignoris occaſione, *L. Si neceſſarias. in pr. de pign. act. L. Invitus. & ibi* P. Fab. *de R. J. L. 6. C. de pign.*

 39. No-

Digitized by Google

39. Notandum autem; ſumptus neceſſarie factos præcedere, non voluptuarios, non utiles, hi enim longe inter ſe alias etiam diſcrepant. *Ulp. in fragm. tit. 6. §. ult. L. Impenſæ. 79. ff. de verb. ſignif.*

## II. CLASSIS.

40. ET hæc de primo ordine creditorum, dominis nimirum rerum extantium: de ſequentibus inſtar maximæ notandum, creditores prioris debitoris, veluti defuncti, creditoribus poſterioris debitoris, ſcilicet heredis, præferendos eſſe, jure nimirum ſeparationis, *L. 1. & tot. tit. de ſeparat.* licet aliqui ex heredis creditoribus ſint, qui antiquius jus habent, quam nonnulli ex creditoribus defuncti; habetur enim hic reſpectus ad hereditatem, ratione cujus creditores heredis antiquius jus creditoribus defuncti prætendere non poſſunt.

41. Hoc itaque, quod bene notandum, præmiſſo, ſequuntur, qui privilegiata ex Jure communi & ſtatutario exigunt debita, quales ſunt I. Qui mutuavit ad funeralia. Siquidem expenſa funeris omne creditum præcedit, *L. pen. de relig. & ſumpt. fun.* Paul. *l. 1. ſent. tit. ult.* licet is, qui ad ea expendit, hypothecam non habeat, Gl. *in L. Reſcriptum. 10. in pr. verb. privilegiarios. de pact.*

42. Et quidem, nullo reſpectu expreſſæ vel anterioris tacitæ hypothecæ, impenſæ funeris, quæ pro ratione perſonæ debita tantum ſunt erogatæ, privilegiatæ ſunt, & ante omnes creditores deduci & ſolvi debent, *L. Si quis. §. Prætor ait. L. Impenſa. 45. & L. fin. in fin. ff. de relig. & ſumpt. fun. §. fin. Inſtit. de Lege Falcid. & ibi* Angel. Aretin. *per text. in d. L. 45. ponderando verbum* ſemper. *item* Omne creditum. *& L. 14. §. 1. ff. de relig.* Joh. Franciſc. Ripa. *tr. de peſte c. 4. num. 133.* Idque propter publicam utilitatem & religionis cauſa, ne cadavera defunctorum inſepulta maneant. *L. 43. ff. de relig.*

45. Et hæc intelliguntur de impenſa, quæ ex æquo & bono pro dignitate defuncti eſt expoſita. *L. Et ſi quis. §. Hac actio. de relig. & ſumpt.*

44. Quia ineptas voluntates defunctorum circa ſepulturam, veluti veſtes, & ſi qua alia ſupervacua in funus impendantur,

non

non valere, ſcribit *Papinianus in L. Servo alieno. §. ult. de legat. 1.*

45. Adeo autem præ reliquis omnibus privilegiatus eſt, qui ad funeralia expendit, ut, etiamſi ſcholaris vel literatus mortuus eſſet, pro expenſis ejusmodi funeralibus hoſpes libros retinere poſſit, qui tamen alias ſunt privilegiatiſſimi. Petr. Rebuff. *in priv. univerſ. 9. ad fin.*

46. Porro quidnam ad funeralia expenſum dicatur, tractat *L. Et ſi quis. 14. §. Funeris cauſa. 3. & L. Funeris ſumptus. 37. de religioſ.* Don. *8. comm. 25.*

47. Ubi ſciendum, quod impenſis funebribus & veſtes lugubres, quæ miniſtris, præſertim inter Nobiles, dantur, (quibus & faſcias ſericas accenſemus, & pepla, quæ cognatis defunctorum & aliis nonnullis, tam viris, quam fœminis, funus comitantibus, de more dari ſolent) annumerandæ; ita tamen, ut modus ea in re ſervetur, iisque arbitrio Judicis committatur. Iac. Menoch. *de arb. jud. quaſt. l. 2. cent. 2. caſ. 127. num. 12.*

48. In quæſtionem quandoque venit & illud, num viduæ veſtes lugubres ex hereditate defuncti mariti debeantur? Et quidem quod ad Jus Civile attinet, dicendum, non deberi, Zaſ. *l. 2. ſing. reſp. c. 3. per text. in d. L. 37. ff. de relig. & ſumpt. Joh. Garſias in tr. de expenſ. cap. 8. num. 17.* In hiſce tamen terris contrarium obſervari animadvertimus.

49. Quod ſi vidua ſumptus in ſepeliendo marito faciat, Jure communi non tantum nullum illorum nomine privilegium habet, ſed eos repetere ex hereditate omnino non poteſt, niſi prius expreſſe de eo proteſtata ſit. *L. Alimenta. & quæ ibi notant Dd. junct. L. 1. & L. Quod in uxorem. C. de neg. geſt. L. 14. §. 7. ff. de relig.*

50. Jure Saxon. tamen viduæ, ſumptus, quos in ſepeliendis maritis faciunt, ex hereditate illorum repetere poſſunt, etiamſi de eo proteſtatæ non ſint. *arg. Conſt. 15. p. 2.*

51. Si autem cum copiam heredis habere poteſt vidua, absque ejus conſenſu in funus mariti plus impenderit, quam neceſſe fuerit, ſuo periculo id faciet, *art. 22. lib. 1.* Landrecht.

52. Quæ de veſtibus lugubribus, modum excedentibus, æri alieno non præferendis, paulo ante diximus, quin in iis, quæ



Digitized by Google

conviviis parandis & monumentis ædificandis impenduntur, magis etiam locum habeant, non eſt dubium: uti de monumentis eſt text. *in L. Funeris ſumptus. in fin. de relig. & ſumpt. fun. L. 1. §. 19. ff. ad L. Falcid.*

53. Si tamen ſtatua vel imago in memoriam defuncti in loco publico & licito erecta fuerit, a creditoribus poſtmodum ea diſtrahi nequit. *L. Fufidius. 29. ff. de priv. cred.*

54. De iis autem, quæ conviviis impenduntur, tantum abeſt, ut ante æs alienum deduci debeant, cum ſumptuum in ſepultura defunctorum nomine non veniant. *d. L. Funeris ſumptus.* Garſia *in tr. de exp. & meliorat. c. 8. num. 12. & 13.*

55. Porro probantur impenſæ funebres per juramentum, juxta *Gl. in L. fin. §. In computatione. in verb. approbaveris. C. de jure delib.* Marcel. Cala. *de modo art. & prob. §. 2. Gl. unic. b. 119. n. 480.*

56. Cæterum quæ hactenus dicta ſunt, debent etiam extendi ad eum, qui in curationem ægroti impendit, *arg. L. In reſtituenda. 4. C. de pet. her.* Alex. & Jaſ. *in L. fin. §. In computatione. num. 1. C. de jur. delib.* ut ſunt ſalaria Medicorum, Chirurgorum & Pharmacopolarum, hæc enim omni credito præferuntur. *L. 3. C. de rel. & ſumpt. fun.*

57. In quibus Legibus Imperatores ſumtuum, in valetudinem defuncti factorum, probationem requirunt, uti & bonam fidem, & arbitrium boni viri: idque inſtar negotiorum geſtoris. *Gl. in d. L. 3. ad verb. vel morbum. C. de religioſ. per L. Quod in uxorem. C. de neg. geſt. L. 23. de R. J.*

58. Non tamen omnes res, a pharmacopolis creditæ, hoc privilegio gaudent, ſed eæ tantummodo, quæ in infirmitatem cujusque, veluti ſunt medicamenta, purgationes, confortantia &c. erogatæ ſunt.

59. In reliquis minus neceſſariis, & quæ tantummodo in deliciis habentur, ad curandum autem ægrotum parum conferre poſſunt; in aromatibus item, quæ forte in culina condiendis cibis adhibentur, ceſſat hoc privilegium. *d. L. ibi: vel morbum.*

60. Impenſis funebribus ſubjungimus mercedem, quæ debetur mercenariis & aliis famulis, *Conſt. Marchia in tit.* Von Erbfällen. *in pr.* eaque deciſio egregie confirmatur ex ſacra ſcriptura,

ptura,

Digitized by Google

ptura, *Levit. 19. v. 13. Deuter. 24. v. 14. Malach. 3. v. 5. Tob. cap. 4. v. 15. & eſt text. in C. Charitatem. 45. in fin. cauſ. Ea. quæſt. 2. Novell. 82. cap. 9. in pr.*

61. Sane Jure Saxon. merces famulorum & mercenariorum, quæ vocatur Liedlohn / etiam ſumptibus funebribus præferenda. *art. 22. l. 1.* Landrecht. Benedict. Reinhard. *p. 6. diff. 19. text. eſt in Conſt. Aug. 28. part. 1.*

62. Vocabulum Liedlohn autem in hac noſtra materia Hartm. Piſtor. reſtringit, ut ſaltem de domeſticis perſonis intelligi debeat, *l. 1. q. 8. in fin.*

63. Quod autem dictum, famulos ſive miniſtros domeſticos in mercede ſua omni debito præferri, a quibusdam reſtringitur ad eum caſum, ſi intra annum, famuli cum dominis, de mercede convenerint, & intra id tempus eam petierint.

64. Et ita judicari in judicio provinciali Imperii Reipublicæ Hagenoenſis, refert Beuther. *in tract.* Von *Prælation* oder Vorzugs-Rechten / *p. 1. c. 29.* Quod nos locum habere putamus, ſi vivo adhuc debitore, in ſervitio illius eſſe deſierint, tunc enim propter fidem domino habitam, cæteris creditoribus potiores non erunt.

65. Unde requiritur, ut famuli tempore mortis defuncti in ædibus & ſervitio ejus reperiantur, daß ſie in ſeinem Brod dienen / quo caſu mercedem ab aliquot annis ipſis debitam, hoc loco repetere poſſunt, atque ita aliquoties pronunciatum meminimus. *L. 2. §. 41. ibi: miniſterio ſunt. vi bon. rapt. Gl. in d. art. 22.*

66. Quod ſi certam mercedem famulo promiſſam quidem non eſſe conſtet, fideliter tamen eum ſerviiſſe, heredes defuncti negare non poſſint, mercedem nihilominus illi pro arbitrio boni viri, ſolvi, ante omnes alios creditores, æquum eſt.

67. Niſi forte ſolo victu contentus, ſolitus ſit absque ulla alia mercede ſervire, uti de famulis ſcholarium profitetur Petr. Rebuff. *tract. de priv. ſcholar. priv. 167.* ſive quæ aliæ circumſtantiæ Judicem in contrarium moveant, de quibus videri poteſt *Vincent. Caroc. in tractat. de locat. cond. tit. de ſubſtant. Locat. num. 6. v. econtra etiam.*

68. Locum autem habet privilegium hoc, non tantum de-



Digitized by Google

funċtis dominis, ſed etiam viventibus, ubi facta executione, bona illorum propter debita poſſidentur. Zobel. *in add. ad art. 2. lit. C. facit text. in L. 65. §. Publicatione. ff. pro ſoc.*

69. Amittitur vero, ſi ejus nomine tanquam creditæ pecuniæ uſuras, is, cui debebatur, a domino accipiat. *arg. L. Si ventri. de priv. cred.*

70. Cæterum, de mercenariis, qui in ædibus defuncti non morantur, & ejus pane non fruuntur, ut ſunt ſutores, pelliones, aurifabri, &c. qui præter operam etiam materiam concedunt, ſciendum, quod tali privilegio prælationis non gaudeant, ſed inter chirographarios, ſi chirographum tantum habent, aut Calendariis ſuis debitum probare ſatagunt, recenſentur. *L. 1. §. Familia. de vi & vi arm.* Reinh. Roſa *in add. ad Moll. p. 1. conſt. 28. (ubi ita a Wittebergenſibus pronunciatum teſtatur) n. 5. poſt pr. verſ. uſque adeo, ut nec Advocatos.*

71. Sicuti nec illi, qui tantummodo operam impendunt, abſque materia conceſſa, uti ſunt ſartores, piſtores, fabri tignarii &c. tali jure prioritatis fruuntur, ſed etiam inter chirographarios numerantur. Roſa *d. loc.*

72. Confirmatur autem merces ſervis debita, juramento illorum. *art. 22. l. 1.* Landrecht *ubi Gl. n. 4.*

73. Porro in materia hac, de mercenariis nempe, id potiſſimum ſpectandum, quod uſus cujusque loci probat, pro varietate enim locorum, jus quoque hoc immutatur: ſic Argentorati in concurſu creditorum famulos domeſticos, chirographariis duntaxat creditoribus, non autem indiſtincte omnibus præferri notat Beuther. *d. tr. p. 2. c. 11.* Econtra aliud Jure Saxonum, uti ſupra oſtenſum, obſervatur. Weſ. *in par. de priv. cred.*

74. In Marchia quoque diverſum obtinet, quod docet communis obſervantia, qua famulis domeſticis præferuntur ii, qui mutuarunt ad funeralia.

75. Medicis æquiparant nonnulli Advocatos, Procuratores & Notarios, ratione ſalarii ſui. *arg. L. 4. C. de pet. her. ibi: infirmitatem.*

76. Verum cum hi neque hypothecam, (niſi expreſſe de ea convenerint) neque jus prælationis habeant, quomodo ad hanc claſſem referri poſſint, non videmus.

77. An

Digitized by Google

77. An autem, & quatenus ſalarium Doctori debeatur, vid. *L. 1. §. In honorariis. & ibi* Goth. *& Dd. de var. & extr. cogn.*

78. Sequuntur expenſæ ob teſtamenti inſinuationem, & inventarii confectionem factæ, uti eſt textus apertus *in L. ult §. In computatione autem. C. de jure delib.* quia tales actus cedunt in utilitatem omnium creditorum. Ludov. Molin. *tr. 2. de juſt. & jur. diſp. 536. n. 23.*

79. Idque non tantum in herede, de quo *d. L.* tantummodo loqui videtur; ſed & in quocunque alio, ſumptus iſtiusmodi ſubminiſtrante, ob identitatem rationis locum habet.

80. Qui tamen ſumptus probari debent, ſive hoc fiat per teſtes, ſive per juramentum, ſive alio aliquo modo, Gl. *ad verbum approbaverit. d. §. In computatione autem. per L. Non omnes. §. A Barbaris. de re milit. L. 4. C. de probat. L. 24. & ſeq. ff. eod.*

81. Succedunt debita Eccleſiæ, Xenodochiorum & Noſocomiorum, ſiquidem & illa ex ſtatuto Marchiæ aliis creditoribus præferuntur: *Viſitation* Ordnung/ *cap. 39. §.* Desgleichen gebühret.

82. Sequitur in hac claſſe fiſcus ratione debiti primipilaris; quod itidem tacitam hypothecam & jus prælationis habet, etiam quoad dotem, *L. 4. C. in quib. cauſ. pign. vel hypotheca tac. contrah. L. 3. C. de primipilo. lib. 12.* tributorum, vectigalium, & collectarum, idque propter priorem tacitam hypothecam & expreſſum jus prælationis, quod hac in cauſa habet. *L. 1. ubi Bald. & Salyc. C. in quib. cauſ. pign. L. 1. C. ſi propter publ. penſit.*

83. In pœnalibus autem, & ubi fiſcus in privati jus ſuccedit, & lucrum captat, reliqui vero de damno vitando ſunt ſolliciti, quia horum cauſa favorabilior eſt, ceſſat prælatio fiſci, juxta *L. In eo. 33. & L. 154. in pr. de R. J. L. unica. ibi* Platea, *num. 2. & 3. C. pœn. fiſc. cred. præf. L. 3. §. 7. & L. 6. in pr. ff. de jure fiſc.*

84. Cæterum, quæ de fiſco Imperatoris, de quo proprie jura loquuntur, Andr. Gail. *l. 1. obſ. 20. num. 4.* modo dicta ſunt, ea etiam ad Electores, Principes, Comites, Barones, Nobiles, ut & quædam liberas Imperii civitates extendi debent, cum cauſa privilegii eadem hic ſit, quæ illic, licet non abſolute & generaliter, ut in cauſis fiſcum Imperatoris concernentibus, attamen

reſpe-

Digitized by Google

reſpective & pro ratione territorii & ſubditorum, quibus imperant. Joh. Cöpp. *Deciſ. 28. n. 21.* ibi : *porro quæ de fiſco diximus.*

85. Quod tamen non de omnibus civitatibus ſine diſcrimine intelligendum, ſed tantummodo de iis, quæ merum imperium & jura principis ex conceſſione habent; ſimile namque privilegium fiſco nulla civitas habet in bonis debitoris, niſi nominatim id a Principe, hoc eſt, Imperatore, datum ſit. *L. Simile. 10. L. Lucius. 21. in fin. ad municip.*

86. Porro bona debitoris, ſolvere nolentis, vel recuſantis, a fiſco vendi poſſunt, *L. 1. & ibi* Gl. *C. in quib. cauſ. pign.* & venditione, a fiſco facta, ſolutio tributi, præteriti temporis ad emptorem ſpectat, *L. Prædiis. de jure fiſci.* ſecus eſt de Jure Cod. *l. ult. C. de cenſib.*

87. Fundamentum autem, quo in exigendis collectis contra reliquos creditores fiſcus nititur, eſt, uti th. 82. dictum, prior tacita hypotheca, unde jam quæritur: ſi quis alicui ſua bona expreſſe obligavit, poſtea vero collecta, vel aliud onus publicum eſt impoſitum, an fiſcus ratione hujus oneris & collectæ, poſtea impoſitæ, creditori, expreſſam hypothecam habenti, antequam collecta imponeretur, præferatur? Quod negamus, *per text. in L. ult. qui pot. in pign.*

88. Quod autem ſupra dictum eſt de collectis & aliis tributis, etiam obtinet in decimis, cenſibus & aliis penſionibus, quæ vel ex bonis tributariis, vectigalibus, emphyteuticis, ſuperficiariis, cenſiticis, & ſimilibus debentur. *L. 1. C. in quib. cauſ. pig. tac. L. Lex vectigali. 31. de pign. L. Etiam ſuperficies. 15. qui pot. in pign.* Joh. Mich. Beuther. *tr. de jure prælat. p. 1. c. 11. poſt med. verſ.* Ferner ſo erſtreckt ſich das ꝛc. *& cap. 13. per tot.*

89. Idem ab aliquibus extenditur ad expenſas executionum criminalium, a ſubditis alicubi exigi ſolitas, Petr. Heig. *quæſt. 23. num. 15. p. 2.* de quo tamen dubitari poteſt, ſiquidem talis conſvetudo exigendi expenſas executionum criminalium & Juri, & rationi repugnat. Etenim in Conſt. Carolina *c. 61. & 204.* expreſſe diſpoſitum, quod Judices cauſarum criminalium tales expenſas executionum criminalium ipſimet facere debeant, prout reſponſum etiam a Facultate Juridica Francof. 19. Maji ſt. n. 1612. Ejusque deciſionis ratio in promptu eſt, quod illi, qui fructus jurisdictionis

Digitized by Google

ctionis percipiunt, exinde quoque jure merito expenſarum incommodum ſentiunt, facit *L. Fructus. 7. §. Impendi. 16. ſol. matr. L. ſecundum naturam. de R. J. C. Qui ſentit. X. eod.* Si ergo tales expenſæ ſubditis minus licite imponuntur, non video, quomodo earum reſpectu magiſtratus jure prælationis gaudere poſſint.

90. Notandum quoque pro declaratione ſtatuti noſtræ Marchiæ wegen des Abſchoſſes / de quo in Conſtit. Brandenburgica Tit. Von Kindergelde. §. Wer aber Kindergeld oder Erbgut/ꝛc. quod nimirum pro illo titulo ſive quindena, competat magiſtratui hypotheca tacita; conſtat enim ex Receſſu publicato in Comitiis Ratisbonenſibus, 1594. in §. Und ſo viel. jus tacitæ hypothecæ competere dominis pro ſubditorum Nachſteur. Dicto autem Nachſteur idem ſignificatur, quod apud nos vocabulum Abſchoß/ prout patet *ex* Rauchb. *p. 1. quæſt. 15. num. 1. & num. 9. verſ. denique.* Quanquam vocabulum illud Nachſteur / etiam in alia accipitur ſignificatione, de qua videri poteſt idem Rauchb. *d. loc. num. 2. & num. 9. verſ. denique.*

91. Et hæc vera ſunt in tributis, collectis & aliis oneribus publicis, in quibus fiſcus, vel alius magiſtratus omnibus creditoribus, etiam hypothecam expreſſam anteriorem habentibus, præferatur, quod Joh. Sichard. *in L. Venditionum. 10. C. ſi propt. publ. penſit.* optime notandum eſſe ait, contra corruptum morem Germaniæ, quo domini terrarum, ſemper primas ſibi uſurpare ſtudent. In contractibus vero & reliquis conventionibus, quid juris ſit, infra videbimus.

92. Cæterum, etſi civitates, quæ jus collectæ imponendæ a Principe non habent, cenſeantur loco privatorum eſſe, nec gaudeant privilegiis fiſci, *L. Simile. ad municip.* habent tamen inſtar fiſci burſam, ut Schurf. *conſ. 83. cent. 2.* refert, in qua publica pecunia reponitur, quæ cum erogatur, publica neceſſitate exigente, poſſunt non ſolum reditus & vectigalia civitatis oppignorari, ſed etiam civibus collectæ imponi. *arg. L. Rem alienam. L. Si rem. §. Is quoque. de pign. act.* Gail. *c. 9. in tract. de Arreſt. Imperii.* Weſenb. *part. 1. Conſ.*

93. Pro quibus tributis civitates & reliquas communiones jus tacitæ hypothecæ cum prærogativa habere, & per conſequens

 omni-

omnibus creditoribus præferri, in Germania longa conſvetudine increbuiſſe, teſtatur Kopp. *deciſ. 28. n. 23.* Speciali quoque privilegio Electorali tale jus conceſſum eſſe Senatui hujus civitatis Francofurtenſis ad Oderam, certo nobis conſtat.

94. Ad hanc claſſem referunt quoque debita hereditaria, Erbgeld/ quæ a coherede e bonis, ex paterna vel materna hereditate acquiſitis, ſingulis annis heredi præſtantur. Rauchb. *p. 1. qu. 6. num. 8.*

95. Appellatione igitur vocabuli Erbgeld/ hoc in caſu non venit pecunia illa, quæ paſſim ab aliis emptoribus rerum immobilium ſolvi ſolet, auff Tagzeiten. Moll. *l. 1. ſemeſtr. c. 6. conſtitut. Saxon. 21. p. 3.*

96. Cæterum th. 94. vera eſt, ſi alteri heredi ex judicio familiæ erciſcundæ, vel ex alia quavis diviſione hereditatis, ſine titulo emptionis & venditionis, quotannis vel aliis temporibus ſolvi debet, ſecus ſe res habet, ſi coheres titulo emptionis bona hereditaria retinet, & alteri pro ſua parte pecuniam promittit. Matth. Wehner. *in ſuis pract. obſ. verb.* Erbgeld. *in pr. & ſub fin. verſ. quando ſine titulo venditionis.*

97. Præterea, ſi alteri heredi res mobiles, vel nomina adjudicentur, & tradantur, ut is ſuo coheredi certam ſummam pecuniæ certis temporibus ſolvat, ejusmodi pretium ex rebus mobilibus hereditariis redactum, hereditarium dici non poteſt. *text. in Conſt. Elect. Aug. p. 3. c. 21. §. ult.* Ergo nec privilegio pretii hereditarii gaudere debet; & ita concludit Dan. Moll. *l. 1. ſem. c. 41. n. 8. verſ. & inter alia debita. & verſ. ſecundo vero caſu.*

98. Quid in rebus furtivis, quæ extant, juris ſit, dictum eſt ſupra th. 25. quod ſi ſunt conſumptæ, & dolo malo in alium translatæ, tunc licet debitor, vel eo defuncto, heredes ejus pro illis teneantur, ejusmodi tamen obligatio tam efficax non eſt, ut impenſis funerum, mercedibus operariorum, &c. collectis publicis & pecuniis hereditariis præferatur: illis itaque præmiſſis, demum locum habebit actio furti.

99. Demum, ſi hi creditores, in hac claſſe poſiti, ſoli inter ſe concurrunt, non pro rata portione bona inter illos diſtribuenda, ſed

Digitized by Google

ſed ſecundum ordinem hunc, quem modo obſervavimus, alter alteri præferendus.

# III. CLASSIS.

100. PORro poſt creditores illos, de quibus hactenus egimus, ordine ſucceſſivo veniunt hypothecarii; quorum cum duplex ſit conditio, quidam enim non tantum realia privilegia, ſive hypothecas, ſed etiam perſonalia, ſeu jus prælationis habent, ideo etiam diverſum illorum jus, & hi illis propter duo vincula præferendi.

101. Tales ſunt 1. is, cui hypotheca in feudo cum domini aſſenſu conſtituta eſt, Pruckman. *vol. 2. conſ. 17. n. 42.* hic enim omnibus aliis hypothecariis creditoribus, cujuscunque conditionis ſint, in Camera Elect. Brandenb. præfertur.

102. Et licet alias feuda absque conſenſu domini in Marchia Brandenburgica recte hypothecæ dentur, ob placita Principum Ordinibus impertita, quibus non fructus tantum feudales, verum etiam ipſa feuda ob debita quæcunque vaſalli alienantur atque diſtrahantur, teſtante id uſu quotidiano.

103. Semper tamen hypotheca cum conſenſu illi, ad quam conſenſus non acceſſerat, præfertur: in habentibus enim ſymbolum, facilior longe eſt tranſitus. Rol. a Valle, *conſ. 76. num. 19. volum. 3.*

104. Cæterum, qui Principis aſſenſu fruuntur, ſecundum prioritatem temporis, quo aſſenſus impetrabatur, ita ut is primo ſolutionem recipiat, qui prius aſſenſum impetravit, collocandi; uti & in illis, quibus feuda neſciente Principe, ſive domino feudi, hypothecata fuerunt, hypothecæ tempus, ejusdemque prioritatis obſervatur.

105. Porro, ſecundum ſtylum Cameræ Sereniſſimi noſtri Principis, conſenſus ſolet concedi, non ſolum ſortis, ſed & uſurarum, intereſſe & expenſarum ratione.

106. Aſſenſus enim domini feudi, qui datur ſortis nomine, ad acceſſoria, ſive acceſſiones ſortis quasvis, & quod conſequens eſt, ad uſuras quoque porrigitur, ut multis proſequitur Surd. *tr. de aliment. tit. 9. quæſt. 31. num. 7. verſ. hac opinio. & ſeqq.*

 107. Et-

Digitized by Google

107. Etenim uſura nihil aliud eſt, quam acceſſio ad ſortem ſive quantitatem ipſam. *L. Frumenti. C. de uſur.* Andr. Kohl. *Exercitat. l. 1. exerc. 16. num. 22. ad fin.*

108. Conſenſus autem domini feudi ad obligationum literas ſeſe referre ſolet, & proinde ſecundum eas intelligendus, adque omnia in iis contenta extendendus erit: quare cum utplurimum in illis expreſſa uſurarum non minus, quam ſortis mentio fiat, conſequens jam erit, conſenſum Principis ad uſuras quoque extendendum: relatum enim in referente cum omnibus ſuis qualitatibus ineſt. Surd. *d. tr. de aliment. tit. 2. quæſt. 10. num. 14.*

109. Quæritur autem, ſi hypotheca cum conſenſu domini ad certum tempus, puta ad triennium, alicui ſit conſtituta, ſi intra id tempus creditor pecuniam ſuam a debitore non acceperit, & deinceps alius ſimiliter hypothecam in illo feudo a domino acceperit, an is creditor poſterior præferatur priori in concurſu, ſi ex feudo utrique ſatisfieri nequeat? Et dicendum, priorem nihilominus præferendum poſteriori, ſecundum ea, quæ habet Moll. *l. 4. ſem. cap. 14. num. 7. verſ. et ſi autem.* qui de eo ulterius videri poteſt. Hodie in his locis conſenſus, licet determinatum tempus non adjectum fuerit, ad ſexennium extenditur, quo elapſo conſenſus quoque exſpirat, prout conſtat ex literis reverſalibus provincialibus Neomarchiæ, anno 1611. d. 11. Jun. datis, in §. Zum neunzehenden. *verſ.* Wann aber ein Lehnmann. & præjudiciis Cameræ Electoralis Coloniæ ad Spream, opus, confirmari poſſet: unde exiſtente tali caſu, prior non præfertur poſteriori.

110. Cæterum dominus, oppignorationi ſalvo jure ſuo conſentiens, feudo ad ſe reverſo, ad æris alieni ſolutionem nihilominus tenetur, Piſtor. *quæſt. 48. num. 32. part. 2.* cum natura iſtius clauſulæ ſit, ut conſervet omnia alia jura, præter ea, quæ dominus conſentiendo & confirmando contractum vaſalli; concedere voluit. Andr. de Iſern. *cap. 1. column. 4. in pr. qui ſucceſſ. teneant.*

111. Et juxta hanc opinionem pronunciatum eſſe a Wittenbergenſibus, teſtatur Petr. Heig. *q. 22. part. 2. n. 2.* & ita ſæpius reſpondiſſe Lipſienſes, docet Hartm. Piſtor. *quæſt. 28. in fin.*

112. Et idem eſſe, quamvis adjecta eſſet talis clauſula, ſalvis in omnem caſum juribus domini, nemlich/ daß der gegebene Conſens

Jhro

Digitized by Google

Ihro Chur- oder Fürſtl. Gnaden Rechten und Gerechtigkeit/ auff alle Fälle/ unnachrechtig und unvorfänglich ſeyn ſolle ꝛc. addit Heig. *d. l. num. 3. & 5.*

113. Vaſallus quoque vel ſimultanee inveſtitus, qui in feudi oppignorationem conſentit ex eo, quod domini conſenſus deficiat, non juvatur, quo minus feudo ad ſe devoluto, creditori teneatur.

114. Sicut enim agnati, in alienationem feudi conſentientes, a jure revocandi & protimiſeos excluduntur, *C. Titius, & ibi Dd. ſi de feud. defuncti.* etiamſi ſine domini conſenſu alienatio facta ſit, Roſenthal *in Synopſi feudali, de feud. alienat. cap. 9. concl. 112.* ita etſi oppignorationi conſentiant, & jure reluendi feudi pignoratitii uti velint, ad refuſionem pecuniæ datæ, vulgo Pfandſchilling / non immerito condemnantur. *Dd. in C. un. an agn. vel fil. &c.*

115. Conſenſus enim præſtitus utrobique Juris renunciationem continet, Gl. *in C. 1. in verb. permiſſione. & ibi Dd. de prob. feud. al. per Lothar. L. Si debitor. 4. L. Lucius. 11. cum LL. ſeqq. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.*

116. Cum conſentiens jus ſuum perdat, & alienum fortificet, omniaque amittat, quæ ad actum, quem ſuo conſenſu roboravit, impugnandum habuit, perindeque ex hoc conſenſu obligetur, ac ſi actum ipſe celebraſſet. Panorm. *in C. Paſtoralis. de Don.*

117. Conſenſum in feudo habentem ſequitur II. Creditor militiæ. *Auth. Quo jure. in fin. C. qui pot. in pign.*

118. Præſertim ſi expreſſe in ſcriptis, hoc eſt, per publicum inſtrumentum ita conſtitutum atque pactum ſit, *d. Auth. Quo jure. ubi Bald. & Salic. C. d. Tit.* nempe ad hoc mutuatam eſſe pecuniam, ut militia emeretur, *Auth. Quod obtinet. C. de pign.* tunc enim in omnibus præfertur creditor, ex cujus pecunia militia, ſcilicet vendibilis, eſt empta. Gl. *in d. Auth. ad verba : quod obtinet. ex L. ult. dict. tit.*

119. Alioquin, licet non ad hoc mutuaverit is, ex cujus pecunia militia eſt empta, uxor erit prior & filii. *d. Auth. Quod obtinet. verſ. alioquin.*

120. Plane pro pecunia, mutuata in emptionem militiæ, adeo



Digitized by Google

creditori privilegium datur juris potioris, ut ſub hypotheca omnium bonorum, comprehendatur ipſa militia, ſive ſit empta nomine debitoris, ſive nomine filii ſui, vel cognati, vel etiam, ſi illud diſerte probetur, nimirum voluntatem fuiſſe debitoris, ut extranei nomine, hoc eſt, pro extraneo emeretur; *text. & ibi* Bald. & Salic. *in d. L. ult. C. de pign.* Militia autem, de qua in theſibus præcedentibus actum, eſt adminiſtratio ſeu officium, quod quis in palatio ſeu comitatu Principis gerit, cujus gratia ſalaria quædam & commoda ſive annonas de publico percipit, prout ita deſcribit Cujac. *ad L. 3. §. Si quis cum minore. verb. Si quid minori. ff. de minor. 25. ann. & ad L. 52. §. penult. ff. de act. empt.* Jo. Borch. *in tr. feud. c. 2. n. 9.* Talis enim militia emi & vendi poteſt. *d. L. 52. §. Inter venditorem. & L. 5. verſ. monente tamen. C. qui milit. poſſ. lib. 12. L. 30. §. fin. C. de inoff. teſt. Nov. 35. & Novell. 53. c. 5.*

121. Idem dicendum eſt de expenſis factis cauſa cuſtodiæ alicujus caſtri. Alex. *in addit. ad* Bart. *L. 5. a pr. lit. C. in quib. cauſ. pign.*

122. Similiter, ſi quis Nobili, aut alii cuidam, in dignitate conſtituto, qui ob virtutem & res præclare geſtas, ad Equeſtrem quendam ordinem promovendus, aut in aliud quoddam collegium illuſtre recipiendus erat, (quod ſine maximis impenſis fieri nequit,) pecuniam mutuo dedit, is in concurſu creditorum omnibus aliis præferendus. *arg. text. in N. 97. c. 4. ibi: occaſione militiæ.*

123. Præſertim ſi & hinc in obligatione cauſa, cur mutuo datum ſit, expreſſa, atque pactum, ut caſu proveniente prior ſit ſolus, qui ad hoc credidit, factum fuerit, *per d. N. 97. c. 4. ibi: & expreſſim.*

124. Inſignia tamen hujusmodi Equitibus conceſſa, ob æs alienum neutiquam diſtrahenda, cum adeo privilegiata ſint, ut etiam omnibus clenodiis & bonis, itemque ornamentis legatis, ea non comprehendantur.

125. Penes Ordinem etenim eſt, de iſtis diſponere, uti habent articuli fœderis Aurei Velleris, quos refert Jacobus Meierus in Annal. Flandriæ, *l. 16. ſub* Philippo Burgundico, *qui fuit primus auctor & fundator aurei Velleris Hiſpani*, longa ſerie.

126. Il-

Digitized by Google

126. Illud addendum, cum perſonalis hæc ſit dignitas, cum perſona quoque interit, *§. Sed & . 6. verſ. plane. I. de J. N. G. & C.* hoc voluit Balduin. *in L. 1. C. de V. S.*

127. III. Subjungimus his liberos prioris matrimonii in repetitione dotis matris & bonorum maternorum, *L. Aſſiduis. §. 1. v. exceptis videlicet. C. qui pot. Auth. Si quid ex rebus. C. eod. Auth. Quod obtinet. C. de pign. Nov. 91. in pr. & c. 1.*

128. IV. Succedit mulier ſuperſtes ratione dotis: dotis ſiquidem privilegium in jure maximum & amplum eſt, ut not. Specul. *in tit. de donat. inter. vir. & ux. §. Formatis. circa fin.* ubi 25. ponit & recenſet privilegia dotis, maxime in hac noſtra materia, prælationis nempe creditorum. *tot. tit. D. de jure dot. C. de priv. dot.*

129. Marito itaque bonis cedente, primo omnium mulier dotem ſuam recipit, ratione enim illius non tantum omnia bona mariti (bonis feudalibus ſaltem exceptis, teſte Bald. *in C. Imperialem. de prob. feud. al. per Frid.* Quod fallit in Marchia Brandenburg. & aliis vicinis provinciis, ubi in ſubſidium æs alienum defuncti etiam ex feudis ſolvi debere, vel per literas reverſales Sereniſſimi Elector. conceſſum, vel per obſervantiam introductum eſt, per tradita Pruckm. *vol. 2. conſ. 17. n. 120. & Conſ. 17. n. 41. & 42.* idem quoque de conſvetudine Megapolitaniæ teſtatur Cothm. *vol. 3. conſ. 23. n. 152. & 156.*) mulieri tacite ſunt obligata, ut notat Gail. *lib. 2. obſ. 83. n. 4. & obſ. 86. n. 3. per text. L. 1. §. 1. C. de rei uxor. act.* Sed & in perſecutione dotis ejusve augmenti, *Auth. de æqual. dot. §. 2.* omnibus creditoribus hypothecariis, & chirographariis prioribus & poſterioribus, tam expreſſam, quam tacitam hypothecam habentibus, ex Juris communis diſpoſitione præfertur, textus expreſſus *in L. Aſſiduis. ult. junctis Auth. & quæ ibidem adnotant* Martinus, Cynus, Petr. de Bel. Pert. *& alii Dd. C. qui pot. in pign. hab. Nov. 97. c. 2. & 3. Nov. 109. c. 1. L. 30. C. de jur. dot.* Franciſc. de Clapper. *in deciſ. cauſ. 84. quæſt. 1. n. 2.*

130. Et ita in Supremo Imperii Judicio, quod Spiræ eſt, pronunciari, teſtatur aperte Mynſing. *obſ. ſing. cent. 4. obſ. 13.* & ita quoque in Marchia practicari tradit Pruckm. *vol. 1. conſ. 47. n. 110.* Licet contrarium pronuncietur a Facultate Jurid. hujus Academiæ.

131. In

Digitized by Google

131. In iſtiusmodi autem exactione conſiderandum eſt, ut probatio accedat, dotem vere eſſe numeratam; *d. L. Aſſiduis. & ibi* Gl. *& Dd.* ſiquidem in dote cauta & confeſſata, ſi illam creditores ſilentio non approbant, ſed ſe opponunt, requiritur probatio, & quidem a muliere, *L. Si quis. 9. in pr. & ibi* Gl. *C. de bon. proſcr.* quod dos ſit numerata: quia licet ſcriptura & confeſſio contra maritum probet, tamen deſtituta eſt probatione contra alios creditores, ſi ſe opponant. *L. Si quis poſthac.* & *ibi* Gl. *C. de bon. proſcr.*

132. Si tamen dos in immobilibus conſiſtit, confeſſio mariti contra creditores probat, niſi manifeſte contrarium probetur. Didac. Covarruv. *c. v. l. 1. tom. 2. in fin. var. rer. ubi quaeſtionem de confeſſione dotis tractat.*

133. Sic confeſſio mariti probat, ſi forſan exceptioni non numeratæ dotis expreſſe ab eo renunciatum ſit, ita ut ea proponi non poſſit, uti poſt Gl *in L. Aſſiduis. ad verb. datam.* Bart. *in d. L. num. 11.*

134. Item ſi & ipſi alii creditores, quod ſibi deberi dicunt, non aliter, quam per cautionem mariti, confeſſionem ejus continentem, probent: tunc enim, quam ad docendum ſua credita ſufficere illi exiſtimant, probationem, ea in vidua quoque, utpote quæ nomine dotis, cauſam etiam habet favorabilem, ſufficere ipſis merito debet.

135. Hinc pro cautela traditur, quod, ſi reliqui creditores mulieri præferri velint, de actuali numeratione pecuniæ debitæ aliter, quam per ſolam debitoris confeſſionem, ut doceant, neceſſe ſit. Rom. *in rubr. ſol. matr.*

136. Cæterum uxores non tantum propter dotem, ut notant Dd. *in L. Ubi. in pr. C. de jure dot.* verum etiam paraphernalia, & omnia alia ſua bona, quæ maritus adminiſtrat, nec non alimentorum gratia, in bonis mariti tacitam habere hypothecam, neque quidquam pro marito ſuo eas ſolvere teneri, notiſſimi juris eſt. *d. L. Ubi adhuc. C. de jure dot.* Mynſ. *ſing. obſ. pract. cent. 5. obſ. 4.*

137. Utcunque reliqua privilegia dotis in his locum non habeant, teſte Jaſon. *in L. Maritus. 21. n. 14. C. de procurat.*

138. Illud certum, quod etiam conſtante matrimonio, marito

Digitized by Google

to ad inopiam vergente, qualicunque modo id fiat, ex delicto, culpa vel abſque culpa ejuſdem, uxor omnia ſua bona vindicare valeat, *per L. Si conſtante. ubi* Bart. *ſol. matr.*

139. Neque enim capi, neque diſtrahi poteſt res mulieris pro mariti ſui debitis, textus ſunt aperti *in L. 1. C. ad L. Jul. de vi publ. L. 1. C. de priv. fiſci L. Res. C. de donat. int. vir. & ux. L. 1. & 2. C. ne uxor pro mar. L. 1. C. de rei uxor act.*

140. Ceſſat tamen hoc privilegium dotis, ſi conſvetudine aut ſtatuto aliud introductum ſit: ſic in judicio provinciali Imperii Reipublicæ Hagenoenſis conſvetudo obtinet, ut tertiam partem debitorum mariti, mulieres e bonis ſuis ſolvant, ad cætera maritus tenetur. Beuther. *in tr. de prel. cred. p. 1. 35.*

141. Idque haud inique, cum alias mulieres gnaræ abſolutæ libertatis, ſæpius res maritorum parum curent, ſuaque negligentia damnum ipſis concilient: cum econtra, ubi ſciunt & res ſuas exactioni creditorum ſubjacere, majori cura rem familiarem adminiſtrent.

142. Et hujuſmodi conſvetudines, quæ teſt. Bart. *in tract. de repreſ. qu. 1. n. 3.* in hac materia plurimum valent, bene notandæ, & ſecundum eas procedendum, per ea, quæ notat ex multis Dd. Andr. Gail. *l. 2. obſ. 90. n. 1. per L. Minime. 23. de LL.*

143. Sic jus prælationis uxori non datur, ſi mulier una cum marito communem negotiationem aut cauponariam exercuerit, wann das Weib in offenen Kram-Laden oder Marck ſitzet / oder mit ihrem Manne Wirth- oder Gaſtſchafft hielte. Et hæc eſt communiſſima totius Germaniæ conſvetudo, teſt. Joh. Mich. Beuther. *d. l. poſt med. col. 7. verſ.* Oder aber das Weib eine Marckfrau wäre 2c. Gail. *l. 2. obſ. 90. n. 5. ibi: tertio non procedit iſta regula. & n. ſeq.*

144. Idque ne bona fide cum ipſa contrahentes, inique decipiantur, juxta text. *in L. 1. §. pen. de exerc. act.* Bart. *in L. Eandem. n. 9. de duob. reis ſtip.*

145. Porro jus prælationis non habet locum; quando mulieris culpa, puta ob luxuriam, aut malam rei familiaris adminiſtrationem, maritus ad inopiam perveniſſe probari poſſit. Frideric. Mindan. *de proceſſ. in Cam. extr. l. 2. c. 61. num. 4. verſ. ſexto omni &c.*

146. Quod ſi nullam plane dotem mulier ad maritum attulit, habebitne adhuc locum privilegium dotis? Et dicendum, quod non; licet enim communiter dicatur, quod mulier indotata perſonam ſuam pro dote det, Innocent. *in C. Per veſtras. n. 3. de donat. int. vir. & ux.* & matrimonium absque dote bene conſiſtere poſſit. *L. 3. de jure dot.* Gail. *l. 2. obſ. 87. n. 1. a pr. & n. 5.*

147. Attamen cum vera & certa dos neque promiſſa, neque data ſit, & ita cauſa privilegii deficiat, utique etiam effectus & privilegium ipſum mulieri denegabitur; ceſſante enim cauſa, utique ceſſabit ejus effectus. *C. Cum ceſſante. X. de appellat.*

148. Æquum tamen eſſet, hoc caſu propter matrimonii honeſtatem & dignitatem, in honorem ejusdem alimenta pro quantitate ſubſtantiæ mariti mulieri decernere, per ea, quæ notat Gail. *d. obſ. 87. l. 2. n. 1. §. Imo uxor. &c.*

149. Sicut nec eo caſu jus prælationis mulieri datur, ſi absque ulla dotis mentione matrimonium contraxit, cum mulier quidem expreſſe omnia ſua bona in dotem dare poſſit, *L. Mulier bona. de jure dot.* ſimpliciter autem nubendo, id feciſſe non cenſetur. Gail. *l. 2. obſ. 82. n. 2. & ſeq.*

150. Quid ſi creditores mariti, agenti uxori hypothecaria, dotem offerre, & bona mariti avocare velint? negamus creditoribus id licitum eſſe, per rationes varias, quas ex Socin. ſen. *conſ. 111.* Neguzantio, & aliis profert Gail. *d. l. 2. obſ. 92. num. 7. & ſeqq.* ad quem Lectorem brevitatis gratia remittimus.

151. Cæterum jus prælationis non habet, nec dotem repetere poteſt mulier, ſi ſciens prudensque viro prodigaliter ſumptuoſo, vel antea obærato, nubit. Jaſon. (ubi rationes affert, & contraria reſolvit,) *ad L. Si conſtante. 24. ſol. matr. num. 170. & ſeqq. usque ad n. 88.*

152. Volenti enim & ſcienti, neque injuria fit, neque dolus, neque fraus, neque damnum. *C. Scienti. de R. J. in 6.* Gail. *d. l. ubi latius hac de re videatur.*

153. Item jus prælationis mulier non habet in emptione militiæ, ſed is, cujus pecunia militia, puta præbenda, vel aliud munus quoddam eſt emptum, præfertur mulieri in dote. *Auth. Quo jure utatur.*

Digitized by Google

*utatur. C. qui pot. in pign.* Neguz. *tr. de pign. p. 5. m. 2. n. 21. ibi : Quinto fallit in militia empta.*

154. Quod verum eſt, ſi expreſſe pecunia ad militiam emendam credita fuerit, alias mulier, vel eius liberi præferuntur in dote, *Auth. Quod obtinet. C. de pign.* Bald. (*ubi hoc menti tenendum dicit*) *in d. Auth. Quo jure utatur. poſt. pr. verſ. & adverte, quod dicit*, uti de his omnibus ſupra fuſius theſi nimirum 117. & ſeqq.

155. Idem obtinet tantum in dote poſteriori, ſecus in anteriori. Neguz. *de pign. d. p. 5. m. 2. n. 21. ibi : ſed dubium eſt, an iſte creditor, &c.*

156. Datur autem hoc privilegium non ſolum mulieri, ſed etiam ejus heredibus ex ſe deſcendentibus. *L. Aſſiduis. 12. §. 1. verſ. exceptis videlicet. C. qui pot.* Schneid. *ad §. Fuerat. 29. Inſt. de act. n. 68. & ſeq. vid. ſupr. th. 127.*

157. Unde heredibus collateralibus, & extraneis non datur, *per text. in Nov. 91. in pr. verſ. non enim aliis dedimus.*

158. Ulterius dubitatur, an hoc privilegium prælationis tranſeat ſolum ad filios ejusdem matrimonii, an vero etiam ad filios cujuſcunque matrimonii? Et ſecundum Berlich. hoc privilegium dotis, ſeu prælationis tantum datur filiis ejusdem matrimonii, non vero aliis cujuſcunque matrimonii: ideoque ſi poſt mortem mariti mulier ſe conferat ad ſecundas nuptias, & ex ſecundo marito liberos ſuſcipiat, illi liberi ſecundi matrimonii hoc privilegio prælationis in dote, quam ex bonis primi mariti defuncti ſuæ matris repetere volunt, non gaudent.

159. Et adducit hanc rationem, quod hoc privilegium non deferatur jure hereditario, ſed jure filiationis. *L. un. C. de priv. dot. juncta L. Aſſiduis. 12. §. Exceptis. C. qui pot. in pign. Gl. in §. Fuerat. 29. Inſt. de act. verb. cum ipſa. & in d. L. Aſſiduis. 12. §. Exceptis. & in d. L. 1. C. de priv. dot.* Sed utcunque hæc Berlich. aſſerat, dubitari tamen de eo poteſt.

160. In hac materia dotis, coronidis loco hic quærimus; Utrum etiam concubina poſſit inſtituere dotis petitionem ex privilegio? Nullo modo, quia cum ea matrimonium non eſt, ſed concubinatus; extra matrimonium autem nulla dos eſt, *§. pen. Inſt. de nupt.* & per conſequentiam nec privilegium dotis.



Digitized by Google

161. Cæterum quæ hactenus de prælatione dotis ratione matrimonii jam conſummati dicta ſunt, etiam in ſponſa locum habent: ſi enim ſponſa dederit dotem, & nuptiis futuris renunciatum eſt, tametſi ipſa dotem condicit ob cauſam, tamen æquum eſt, hanc ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum ſit, ut ait Ulpian. *in L. 2. §. Si ſponſa. ubi* Bart. *de priv. cred.*

162. Idem dicendum putat Ulpian. *in d. §. Si ſponſa. verſ. idem puto.* ſi minor duodecim annis in domum quaſi uxor deducta ſit, licet nondum uxor, hoc eſt viripotens & cognita ſit, quod matrimonium putatitium Dd. nominant *in d. L. Aſſiduis. C. qui pot. in pign.*

163. V. Poſt mulierem præfertur omnibus fiſcus, ſubintellige in contractibus; nam quid in tributis & collectis obtineat, ſupra th. 81. dictum.

164. Qui itaque cum fiſco contrahunt, ſtatim ſua bona fiſco tacite pignori obligant, in quibus reſpectu ſui privilegii præfertur omnibus creditoribus. *L. 2. C. in quib. cauſ. pign. tac. cont. L. Quod quis. & ibi* Gl. Bart. *de privil. Cred.*

165. Præfertur autem fiſcus, non habentibus priorem expreſſam, ſed tantum tacitam.

166. Nam qui expreſſam hypothecam tempore priorem habet, illius jus acquiſitum fiſci obligatione, quæ tempore poſterior eſt, lædi non debet. *L. Si fundum. C. qui pot. in pign.*

167. Quod in realibus regulariter in fiſco locum habet, ſecus eſt in perſonalibus. *text. cum* Gl. & Bart. *in L. Quod quis. de priv. cred. Vid. ſupra th. 82.*

168. Porro quod modo theſ. 165. dictum, verum eſt, ſi creditores habent ſpecialem expreſſam anteriorem hypothecam: ſi vero habent anteriorem expreſſam generalem, tunc hi creditores quidem præferuntur fiſco in illis bonis, quæ debitor habuit, antequam cum eo contraxit; in reliquis vero bonis, quæ debitor acquiſivit, poſtquam cum fiſco contraxit, fiſci cauſa potior habetur. *L. Si qui mihi. 28. de jure fiſci.* Ant. Fab. (*ubi rationem affert*) *lib. 2. conjectur. c. 10.*

169. Si

169. Si itaque ſunt creditores, expreſſam ſpecialem anteriorem hypothecam habentes, licet fiſcus ſit ſucceſſor in bonis confiſcatis, & habeatur in illis loco heredis, nihilominus tamen creditoribus tenetur ſatisfacere. *L. Inter eos. §. ult. & ibi* Gl. *in verb. ita fiſci. de fidejuſſ.*

170. Non autem diſtingvimus hic inter fiſcum & privatum Principis patrimonium, *L. Fiſcus. 6. §. fin. de jure fiſci.* quamvis alias non ſint eadem. *§. fin. & ibi* Weſ. & Dd. *Inſt. de uſucap.*

171. Cæterum ratione ejus, quod ex delicto debetur, fiſcum in bonis deliquentis tacitam hypothecam non habere, jam aliquoties dictum eſt: poſt latam tamen ſententiam fiſcus non minus habet tacitam hypothecam & prælationem, ac habet in contractibus; quia lata ſententia quaſi contrahere videtur. Bald. Caſtr. & Jaſ. *in L. Reſcriptum. de pact.*

172. Et hoc procedit, quando pœna pecuniaria per ſententiam delinquenti imponitur. Bald. *in d. L. Reſcriptum.*

173. Quod ſi creditores ex maleficio ſunt omnes ejusdem tituli cum fiſco, utputa ſi propter homicidium aliqua quantitas debeatur heredibus defuncti, aliqua quantitas fiſco, tunc propter tacitam hypothecam cæteris paribus fiſcus præfertur, ita Bald. *in d. L. Reſcriptum. de pact.* quem quadam diſtinctione ſecutus eſt Everhard. *in loco a fiſco ad dot.*

174. V. Sequitur is, qui ad refectionem & conſervationem ædium credidit, etiamſi expreſſe ſibi hypothecam non conſtituerit. *L. Interdum. 5. & L. ſeq. qui pot.* Jaſ. *in L. Creditor. 25. de R. C.*

175. Ut autem hoc privilegium prælationis is, qui ad refectionem vel conſervationem rei mutuavit, habeat, requiritur 1. Ut ſpecialiter pecunia fuerit mutuata ad refectionem vel conſervationem rei; alias enim ſi ſimpliciter fuerit mutuata; etiamſi eam debitor ad refectionem, vel conſervationem impendiſſet, mutuans hoc privilegium prælationis non habet. *L. Procuratoris. 5. §. Plane. 17. de trib. act.* Cujac. *ad L. Lucius Titius. 7. de exerc. act. L. 8. ad Afric. poſt. pr. verſ. magiſter pecuniam mutuatus non cavit.*

176. Secundo ad hoc privilegium prælationis requiritur, ut res revera ex illa pecunia, ad refectionem mutuata, ſit refecta:

 cum

cum privilegium propterea concedatur, quod illius pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam, ut Ulp. aſſerit. *in L. 6. in pr. qui pot. in pign.* neceſſe igitur eſt, pecuniam actualiter erogatam eſſe atque impenſam.

177. Ad probationem tamen, an illa pecunia mutuata ſit expenſa pro refectione rei, non requiritur, ut creditor probet, eam ipſam pecuniam eſſe impenſam ad refectionem, ſed ſufficit, ſi creditor probet, quod tempore contractus, res indiguerit refectione, & poſtea ſit refecta. *L. Lucius Titius. 7. poſt pr. de exerc. act. ubi* Cujac. *l. 8. ad Afric. poſt. pr. verſ. hoc tamen exigimus.*

178. Quid ſi pecunia impenſa ſit in domus refectionem, quæ mox corruat, utrum prælatio durabit? & Zaſ. *in L. 25. de R. C. poſt* Gl. *in L. 1. de ceſſ. bon.* exiſtimat, ceſſare hoc privilegium, ſi domus non extiterit, ſed requiri, ut domus reficienda duret, adeo, ut creditor talis non habeat jus prælationis in area ædificii, cum magis domus, quam locus, hic in contemplationem veniat.

179. Inſuper hoc privilegium prælationis mutuanti ad refectionem rei denegatur, ſi is majorem ſummam, quam ad rem reficiendam neceſſaria fuit, mutuaverit, tunc enim non in ſolidum, ſed in ea tantum parte, quam revera neceſſe fuit, impendi in refectionem rei, habet prælationem. *d. L. Lucius Titius. 7. ſub fin. pr. de exerc. act. ubi* Cujac. *l. 8. ad Afric. poſt. pr. verſ. & conſequenter, ſi majorem pecuniam.*

180. Quod verum eſt, ſi creditor ſciens majorem ſummam, quam opus eſt, ad refectionem crediderit. *d. L. Lucius Titius. 7. ſub fin. pr.*

181. Secus, ſi debitor deceperit creditorem, & perſvaſerit opus ſibi eſſe centum in refectionem rei, cum ſufficerent octoginta, tunc enim recte creditori hoc privilegium prælationis ad integra centum conceditur, *L. 1. §. Sed etſi pretiis. 10. de exerc. act.* Cujac. *d. l. 8. ad Afric. ante medium. verſ. quod ab Africano, ſcriptum opinor de creditore ſciente.*

182. Præterea etiam hoc beneficium prælationis mutuanti denegatur, ſi hæretico, vel manifeſti & in generali concilio damnati erroris aſſertori ad refectionem domus mutuaverit, uti notat Jaſ. *in L. Creditor. 25. n. 4. de R. C.*

183. Et

Digitized by Google

183. Et hactenus dicta etiam ad illos extendenda, qui ligna ad refectionem domus commodarunt, die Holtzhändler / cum & illi re ſua ſalvam faciant totius pignoris cauſam: unde etiam ex SCto, quod ſub Marco Imperatore factum eſt, atque ſic ipſo jure, nempe a Lege, tacita hypotheca & jus prælationis in hujusmodi ædibus ipſis competit, *L. 1. in quib. cauſ. pign. tacit. contrah.* quod & teſtatur communis uſus.

184. Quod Papinianus interpretatur, non tantum ad eum pertinere, qui ipſi domino ligna tradidit, ſed etiam qui aliis, domino mandante, ligna ſubminiſtravit, *d. L. 1. ubi* Bart. cum nihil interſit, utrum domino ad reſtitutionem ædificii mutuo aliquid dederimus, an alii juſſu ejus in eam cauſam. *L. Solutum. de pign. act. pr. I. quib. mod. toll. obl.*

185. Imo qui ultro ædificat, ceſſante domino, beneficium prælationis habet, idque propter publicam utilitatem & neceſſitatem. *L. 5. C. de ædif. privat.*

186. VI. Ille, qui ad res emendas credidit, & ſibi in illis rebus ex ſua pecunia emptis, hypothecam conſtituit, cæteris creditoribus omnibus, generalem & anteriorem hypothecam habentibus, in ea re præfertur. *L. Licet. C. qui pot. in pignor.* Bald. Sal. *&* Dd. *ibi.*

187. Et in hac pignoris reſervatione Judicis conſenſum, vel inſinuationem ad acta, etiamſi immobilis ſit res, non ita ſtricte exigendum eſſe, JCti Wittebergenſes cenſuerunt, & ita aliquoties judicarunt, teſte Weſenb. *in conſ. 93. n. 7. p. 1.*

188. Licet enim Conſt. Sax. 23. p. 2. contrarium ſtatuat, ea tamen, cum Juri communi contraria ſit, liberamque de rebus noſtris diſponendi poteſtatem nobis adimat, odioſa eſt, ſtricteque accipi debet. *L. Dudum. 14. & ibi* Dd. *C. de contr. empt.*

189. Eoque nec ad nomina, quæ diverſam bonorum ſpeciem quodammodo conſtituunt, *L. Quam Tuberonis. 7. §. pen. de pec.* faciliusque, quam res ſoli diſtrahi poſſunt, *L. Magis puto. 5. §. Non paſſim. 9. verſ. quærere. de reb. eor. qui.* nec ad pignora, ſi in allodialibus conſiſtant, extenditur.

190. Si itaque mutuans ad emptionem domus, vel agri, vel alius rei; ſpecialiter vel generaliter ſibi in re, ex ſua pecunia empta, hypo-

hypothecam non conſtituerit, aliis creditoribus anterioribus non præferetur, & ideo etiam a tertio quodam poſſeſſore pecuniam repetere non poterit. *L. Quamvis. 17. C. de pign.* H. Piſt. (*ubi rationes affert, contraria reſolvit, & ſecundum hanc ſententiam tam judicandum, quam reſpondendum dicit.*) *p. 3. quaſt. 15. n. 1. & ſeqq. per tot.*

191. Generaliter enim traditum eſt, creditores, quorum pecunia domus, ager, navis, vel aliæ merces comparatæ ſunt, hac pecuniæ numeratione, res emtas in cauſam pignoris non deducere, niſi ſpecialiter vel generaliter eas ſibi obligari curaverint, *d. L. Quamvis. 17. C. de pign.* & hæc ſententia frequentiori Interpretum, ut & illuſtris Academiæ Jenenſis calculo comprobatur: ut & hodie in Juridica Facultate hujus Academiæ pronunciari ſolet.

192. VII. Pupillus in re, ſua pecunia empta, omnibus eſt potior, ſi de pignore convenit, *L. 7. qui pot.* imo idem juris eſt, etiamſi nullum expreſſe ſibi reſervavit pignus, *L. 3. in pr. de reb. eor.* licet enim alias res empta ex pecunia unius non ei obligetur, *L. Quamvis. 17. C. de pign.* niſi ſpecialiter vel generaliter fiat obligatio; tamen hoc fallit in pupillo, cujus empta res ex ejus pecunia, pro rata ſuæ pecuniæ, tacite hypothecata eſt. Bart. poſt Gl. *in d. L. Idemque. 7.*

193. Et hoc, quando ille, qui accepit pecuniam, eſt extraneus: nam ſi eſſet debitor tutor pupilli, in electione minoris eſt, rem emptam obtinere obligatam pro ſua pecunia, vel utili rei vindicatione vindicare. Gl. & Dd. *in L. Si ut proponis. 8. C. de rei vind. Vid. ſupr. th. 14.*

194. Idem eſt in re empta ex pecunia militis, licet hic, ut pupillus, talem rem hypotheoatam tacite non habeat. Beuther. *p. 2. c. 40. in fin.*

195. Præterea, ut nemo alius in re empta pecunia pupilli vel militis jus aliquod habeat, neceſſe eſt, ut res illa ſola pecunia pupilli vel militis ſit empta: quod ſi non in totum ex nummis cujusdam comparata eſt, erit concurſus utriusque creditoris, id eſt & antiquioris, & ejus, cujus nummis comparata eſt, Ulp. *in L. 7. §. 1. verſ. quodſi. qui pot. In pign.* uti & th. 191. innuimus.

196. A-

Digitized by Google

196. Aliud eſt, ſi creditor tutor pro pupillo rem jam dudum alii obligatam emerit, quam venditor alienare amplius non potuit, & proinde pupillo nullum jus tacitæ hypothecæ competere poteſt: quamobrem circumſpicere debent tutores in acquirendis pro pupillis ſuis bonis, ac diligenter inquirere, an libera & propria ſint bona, quæ emere cogitant, alias ſuo periculo cautiores reddentur, ſecundum præſcriptum totius *tit. de adm. tut.*

197. VIII. Venditor cujusdam rei, ſi in re ſua vendita appoſuit pactum ſpecialis hypothecæ, vigore illius pacti præferendus venit in illa re creditoribus, expreſſam hypothecam generalem anteriorem habentibus, modo tale pactum ſit adjectum in initio contractus, vel ſaltem in ipſa traditione rei. Neguſ. *de pign. p. 5. m. 2. n. 18.*

198. Et tale pactum etiam in favorem tertii alicujus adjici poteſt a venditore. Neguſ. *p. 4. pr. n. 33. & 34. cum ſeqq. usque ad fin.* ad quem brevitatis ſtudio nos remittimus.

199. Cæterum, quæ modo dicta ſunt, extendenda etiam ſunt ad mercatores, ita, ſi unus mercator alteri mercatori merces vendit, & habita fide de pretio (quod in dubio non præſumitur, Gl. *in L. Quod vendidi. verb. ſatisfactione. de contr. empt.*) tradit, emptor vero poſt traditionem factam fidem rumpit, bonis cedit, & aufugit, quod mercator venditor merces adhuc extantes non poſſit repetere, ſed in illis reliqui creditores hypothecarii præferuntur. *L. 5. §. Plane ſi in eadem. de trib. act.* Gail. *l. 2. obſ. 15. n. 1. 2. & 3.*

200. Omne enim jus, quod habuit in re vendita, plenumque dominium, per traditionem in emptorem, fidem ejus ſecutus, tranſtulit. *§. Vendita. cum §. ſeq. de R. D.*

201. Quod tamen ſecus ſe habet, ſi mercator animo fraudandi ad emptionem accedat. *L. Si quaſi recepturus. 3. de pign. act.* Beuth. *de jure prælat. pr. 1. c. 18. poſt. pr. verſ.* Denn wo ein *dolus. Vid. ſupr. theſ. 18.*

202. Sic conſtat, ruſticis ob illorum ſimplicitatem in Saxonia tribui, ut fundos venditos pro reſiduo pretio jure hypothecæ ſibi obligatos habeant, etiamſi expreſſe illis ea conſtituta non ſit. Rauchb. *p. 1. qu. 9. num. 7.*



Digitized by Google

203. Non æque Bibliopola libros, quos Doctori cuidam, vel Studioſo vendidit, jure hypothecæ tacitæ præ aliis creditoribus ſibi vindicare poteſt.

204. Nam creditoribus libri Studioſorum neutiquam oppignorantur. Gail. *obſ. 25. num. 6. l. 2. per text. in L. Obligatione generali. de pign.*

205. Quia ſtudioſi intereſt, libros habere & retinere, quo illis lectis, melior & doctior evadere poſſit. *L. penult. ff. ad exhib.*

206. Sic ſententia adverſus ſtudioſum lata, executio rei judicatæ in ejus libros non recte fit, Jaſ. *ad §. Item Serviana. n. 65. I. de act.* Horat. Luc. *tr. de privileg. Scholar. privileg. 32. Diſſ.* Monach. *tr. de execut. inveſtit. c. 12. n. 30. 32. & 33.*

207. Quod tamen non procederet, ſi alia bona non extarent, *arg. L. Stipendia. C. de exec. rei jud.* Speculat. *t. t. de execut. ſent. §. Sequitur. in fine.* Bart. Alex. *alii in L. Commodis. de re judic.* ne cum aliena jactura locupletetur. *Luc. de privileg.*

208. Sicuti nec procederet, ſi ſtudioſus mortuus eſſet, quia locator, vel hoſpes eo caſu libros retinere poteſt pro funere & aliis impenſis. *L. Et ſi quis. §. 1. de relig. & ſumpt. fun.* Bald. *in L. In reſtituenda. C. de petit. heredit. Vide ſupr. th. 45.*

209. Perſonale namque privilegium perſonam non egreditur. *C. Privilegium. de R. J. in 6.*

210. Quod ſi ſtudioſus bonis ceſſerit, & poſtea libros emit, a creditoribus de jure ipſi auferri non poſſunt. *arg. §. Item ſi quis. verſ. ſed hoc caſu. Inſt. de ſoc.* Bald. *ad rubr. C. qui bon. ced. poſſ.*

211. Porro ſi quis feudum venditum coram domino emptori cedens, ſe nihil in eo præter pretium ſibi reſervare dicat, & emptor hoc pacto traditionem & inveſtituram accipiat, hoc ipſo pro pretio reſiduo cum domini conſenſu & adprobatione, in feudo vendito pignus ſibi retinuiſſe creditur.

212. Quippe quibuscunque verbis, etiam absque ſcriptura hypotheca contrahi poteſt, *L. Contrahitur. 4. L. Cum tabernam. 34. §. 1. de pign. L. ult. C. quæ res pign.* ſi nimirum contrahentes aliquid prolocuti fuerint, vel ſcripſerint ejusmodi, quod intellectum quendam hypothecæ vel pignoris habeat. *Nov. 136. c. 6.*

213. IX. Qui publicas hypothecas, puta, coram Judice, vel Notario



Digitized by Google

tario & teſtibus datis, ſive generales ſive ſpeciales fuerint, habent, reliquis habentibus privatas præferuntur. *L. Scripturas. juncta ibid. Auth. C. qui pot. in pign.*

214. Privata enim ſcriptura nihil probat contra tertium. *L. Inſtrumenta. L. Rationes. L. Exemplo. C. de probat.* Tum quod ſcriptura publica omni ſuſpicione caret, & propterea plus valet, quam privata, a qua omnis ſuſpicio non plane eſt remota. Anton. Gab. Rom. *lib. 1. tit. de probat. concl. 10. n. 1.* Gail. *lib. 2. obſ. 25. num. 9.* Nicol. *de* Paſſerib. *tr. de ſcript. priv. lib. 1. quæſt. 8. n. 1.*

215. Si tamen privata ſubſcriptione trium teſtium fuerit firmata, tunc æquiparatur hypothecæ a judice confirmatæ, & conſequenter ſi priores fuerint, poſterioribus habentibus hypothecas publicas præferuntur, cum tunc ceſſet omnis doli fraudisque ſuſpicio. *d. L. Scripturas. & d. Auth. Si quis vult caute. C. qui pot.* Calcaneus *conſ. 29. n. 14.*

216. Niſi forte ſtatutum vel conſvetudo cujusque loci aliud introduxerit; uti Viennæ Auſtriæ, & aliis quibusdam locis moris eſt, ut nullæ oppignorationes, niſi judiciales, effectum aliquem habeant, ne nimirum fraus aliqua fiat in transmutando vel protrahendo tempore, Gail. *l. 2. obſ. 25. n. 9. in fin.* ne & una eademque res multis ſimul oppignoretur, *juxta L. fin. C. de crim. ſtell.*

217. Unde dictis in locis privata ſcriptura, quantumvis teſtibus munita, ſigilloque ſubſignata ea ſit, ad optatum usque non valet in præjudicium creditoris habentis hypothecam publicam, etiam poſteriorem.

218. Scriptura autem privata, continens in ſe hypothecam, publico inſtrumento ſine hypotheca præponitur, quia & per ſcripturam privatam pignus ſeu hypothecam probari poſſe, juris eſt manifeſti. Scævola, *in L. pen. de pign.* Is autem, qui inſtrumentum publicum ſine hypotheca habet, inter ſimplices perſonales creditores præferendus. Bald. *conſ. 466. vol. 5.*

219. Sic poſſeſſione pignoris creditori tradita, cui ſcriptura privata acceſſit, traditione poſſeſſionis efficitur, ut ceſſet falſitatis ſuſpicio: & per conſequens, poſſeſſio per ſcripturam privatam probata, creditorem tempore priorem tueri debet.

 *arg.*

Digitized by Google

*arg. L. Si non dominus. qui pot. in pign. L. Quoties. & ibi* Gl. & Dd. *C. de R. V.*

220. Multum enim operatur acquiſitio poſſeſſionis, qua habet creditor quoddam jus retinendi rem oppignoratam, Gl. Alex. & Jaſ. *in L. 1. in pr. de acqu. poſſ.* & natura prioritatis eſt, poſſeſſorem eſſe potiorem, ſcribit Bald. *conſ. 189. vol. 3.*

221. Quod tamen ita intelligitur, ne per acquiſitam poſſeſſionem jus prioris creditoris lædatur. *L. Creditor. qui pot. in pign.*

222. Si autem inter creditores nulla ſit prioritas temporis, utpote, ſi a diverſis non-dominis duo creditores pignus acceperint, & de eo inter illos oriatur controverſia, tunc melior eſt conditio ejus, qui poſſeſſionem prius acceperit, per regulam, quod in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis. *L. Si non dominus. & ibi* Gl. & Bart. *qui pot. in pign.*

223. X. Creditor poſterior, acquirens pignus prioris, in ejus locum ſuccedit, & ratione totius debiti ſui præfertur anterioribus, quibus anteferebatur is, in cujus jus ſucceſſit. Köpp. *deciſ. 28. num. 34.*

224. Quod fit, ſi ſecundus creditor priori debitum ſuum ſolvit vel offert, & obſignatum deponit, *L. 1. & ibi* Bald. & Sichard. *C. qui pot. in pign.* Oblatio enim atque obſignatio, & depoſitio, idem operantur, quod ſolutio. *L. Cum heres. 4. in pr. de ſtatu liber. L. Creditor. 20. & ibi* Bart. *C. de pign.*

225. Item neceſſum eſt, ut expreſſe de hypotheca conveniat: creditor enim, cujus pecunia aliis creditoribus privilegiariis ſatisfactum eſt, privilegium quidem habet, *L. Si ventri. 24. §. fin. de reb. auth. jud. poſſ.* Vital. *de Camb. de clauſ. & ſpec. oblig. n. 2.* jus autem hypothecæ abſque expreſſa conventione non habet. *L. 1. & tot. tit. C. de his, qui in prior. & ibi* Cujac. *in parat.*

226. Et hæc ſucceſſio etiam in fidejuſſore valet & permittitur, utcunque oblationem ferre, atque recipere hi cogantur. *L. 2. & L. 5. §. Si ſecundus. de diſtr. pign.*

227. Aliud eſt, ſi primus creditor a tertio ſuperatus ſit, quo caſu nihil præjudicat tertius ſecundo; ſiquidem eo ipſo non ſuccedit in locum primi, ſed potius eum excludit, quæ eſt alia cau-

ſa,

ſa, eaque diverſa a ſucceſſione ſive transmutatione. *L. Claudius. 16. & ibi* Bart. *qui pot. in pign.*

228. Demum poteſt hujusmodi ſolutio & oblatio a ſecundo creditore primo fieri, ſine pacto cum principali debitore. *L. 1. ubi Accurſ. &* Dd. *C. de his, qui in prior. loc.*

229. Et tantum etiam de hypothecariis privilegiatis, ſeu prælationis jus habentibus: plures caſus quidem adduci, multaque admodum neceſſaria & utilia ad hanc claſſem referri poſſent, ſed ne nimium theſes hæ excreſcant, (diſputationem enim, non tractatum conſcribere animus fuit,) ad Dd. qui luculenter hac de re ſcripſerunt, nos remittimus.

230. Illud monendum eſt, creditores in hac claſſe poſitos, ſi concurrant, eo ordine ſeſe invicem ſequi, quem in theſibus obſervavimus; ii enim, qui cum conſenſu domini & agnatorum in feudo expreſſam hypothecam ſibi acquiſiverunt, quamvis poſteriores ſint, in Marchia omnibus aliis præferuntur. Pruckman. *vol. 1. conſ. 24. n. 102. & 104. & vol. 2. conſ. 17. n. 42.*

231. Hos ſequitur creditor militiæ, qui doti ſemper præfertur, ſi modo hæc duo concurrant, primo ut expreſſe ad emendam militiam pecunia mutuata ſit; ſecundo ut dos ſit poſterior, nam ſi prior, etiam huic creditori præferenda eſt, Neguz. *de pign. p. 5. m. 2. n. 21. ibi: ſed dubium eſt, an iſte creditor.* extra mulierem autem & ejus filios adverſus quosvis creditores creditor militiæ hoc privilegium habet, etiamſi in ſpecie ad emendam militiam pecuniam non crediderit. *Auth. Quod obtinet. verſ. fin. & ibi* Gl. *ad verb. creditoribus. C. de pign.*

232. Poſt creditorem militiæ mulier ratione dotis omnibus, etiam anteriorem expreſſam hypothecam habentibus, præfertur, ſi nimirum concurrat cum privato antiquiore, *L. Aſſiduis. D. qui pot. in pign.* quod ſi cum fiſco concurrat, qui prior tempore, potior eſt jure. *L. 2. C. de priv. fiſci.* Sunt enim pares in tacita hypotheca, *L. 2. C. in quib. cauſ. pign. & ibi* Bart. ubi vero paritas eſt privilegii, privilegiati rediguntur ad jus commune. *d. L. 2.* Quod ſi concurrat cum fiſco & privato antiquioribus; demus maritum contraxiſſe cum privato, ac fiſcum cum muliere? Et privatum vincit & fiſcum; fiſcum quidem non concurrendo cum fiſco, alias ſtatueretur



Digitized by Google

contra *d. L. 2. C. de jure fiſci.* ſed concurrendo cum privato, eumque vincendo, qui jam per *L. 8. qui pot. in pign.* vicit fiſcum. Ant. Mercat. *3. not. 14.*

233. Sic mulier præfertur etiam venditori, qui in re vendita pro pretio, expreſſe ſibi hypothecam conſervavit, & ei, qui ad rem emendam vel reficiendam pecuniam credidit. *N. 97. c. His conſequens. 8. §. Volumus igitur ſecundum hoc.* Rauchbar. *p. 1. quæſt. 4. num. 25.*

234. Quomodo dotem ſequatur fiſcus, & aliis creditoribus præferatur, ſufficienter th. 16. & ſeqq. demonſtratum, in quibus & de reliquo jure creditorum, jus prælationis habentium, actum, ea itaque omnia hic repetere, ſupervacaneum arbitramur.

235. Quod ſi plures ejusdem tituli ex modo enumeratis creditoribus concurrant, veluti plures habentes conſenſum domini in feudo, plures creditores militiarum, &c. potior erit, qui prior, de qua regula infra latius videbimus.

## IV. CLASSIS.

236. SEquuntur nunc ſimplices hypothecarii ; quales ſunt liberi in parentum ad ſecunda vota tranſeuntium bonis, pro conſervandis iis, quæ ex priori matrimonio lucrati ſunt, *L. Si quis prioris. §. In illo. ubi* Bald. *C. de ſec. nupt.* ut & ratione bonorum adventitiorum. *L. Cum oportet. §. fin. C. de bon. quæ lib.* Et hæc, ſi bona liberorum ſunt conſumpta ; ſi adhuc extant, in concurſu creditorum a rebus patris primo omnium ſeparanda, & filiis adjudicanda, ut ſupra th. 22. dictum.

237. Sic locatori inducta & illata in prædia urbana ſunt obligata, non ſolum pro penſionibus, ſed & ſi deteriorem habitationem fecerit ſua culpa inquilinus, quo nomine cum eo ex locato actio eſt. *L. Eo jure. 4. in quib. cauſ. pign.*

238. Is quoque, qui præcedente ordinario proceſſu, & ad executionem ſententiæ, pro ſe latæ, in bona debitoris immiſſus eſt, pignus judiciale conſequitur. *L. A Divo Pio. §. In venditione. de re jud.* Weſ. *in par. de pign. n. 3. Conſt. Sax. 28. p. 1. in med. verſ.* Desgleichen haben auch die ſolchen Vorzug ꝛc.

239. Imo & illis, qui extra proceſſum, per reſcriptum Princi-

pis

Digitized by Google

pis immiſſionem vel terminum tantum, quo immitti debuerunt, impetrarunt, idem jus tribuitur, quia ejusmodi reſcripta parem vim & poteſtatem cum ſententia habent, & cum ea paribus paſſibus ambulant. Bart. *in L. Cum unus. 12. de reb. aut. judic. poſſ. num. 11. in pract.*

240. Ad hoc autem, ut illi creditores, qui ex cauſa judicati, vel inſtrumento in poſſeſſionem mittuntur, hoc jus hypothecæ conſequantur, non ſufficit interlocutoria de immittendo, ſed requiritur, ut realiter ſint immiſſi, *per L. Non eſt mirum. 26. §. Sciendum eſt. 1. de pign. act.* Gl. *in C. Cum aliquibus. 6. de re jud.* quod & Jure Saxon. requiritur, *per text. in N. Elect. Aug. p. 1. conſt. 28. in med. verſ.* Die würckliche Einweiſung und *Immiſſion.*

241. Quod tamen cum hoc temperamento accipiendum putamus, ſi Judex ſolum interloquitur, & pronunciat, creditorem ex cauſa judicati eſſe in poſſeſſionem bonorum debitoris immittendum.

242. Secus ſi Judex non ſolum interloquitur, ſed etiam executionem decernit, & actu paratus eſt creditorem immittere, debitori vero dilationem indulget, ut tum demum creditor, ſi ei debitor ante illam finitam non ſatisfaciat, realiter immittatur, tunc enim aliter ſe res habet. *C. Ea, quæ a judice. 26. de R. J. in 6.* Gail. *1. de arreſt. c. 1. n. 9.*

243. Taliter autem immiſſi idem & par jus prioritatis habent cum hypothecariis, ita ut ratio temporis inter eos obſervetur, & potior ſit is, qui prior fuit immiſſus. *L. Si & jure. 10. qui pot. in pign.* Mynſ. *cent. 1. obſ. 28.* De qua regula, nimirum priorem tempore potiorem eſſe jure, an & quando locum habeat, jam videndum eſt.

244. Si igitur inter creditores hypothecarios de prioritate contenditur, hæc regula obſervatur, ut prior tempore potior ſit jure. *L. Qui generaliter. 2. ſub fin. L. Si pignus. 8. L. Si & jure judicatum. 10. L. Potior. 11. L. Creditor, qui potior. 12. qui pot. in pign. Conſt. Sax. 28. p. 1.* Nach itzt berührten Schulden / verſ. Unter welchen die Elteſten von der Zeit erlangten Pfändung / &c. *C. Qui prior. de R. J. in 6.*

245. Eaque locum habet, etiamſi una tantum hora, vel etiam

in

in puncto horæ quis prior ſit. *arg. L. Titius. 25. §. Lucius Titius. de lib. & poſth.* Bald. *in L. De rebus de donat. ante nupt.*

246. Ideoque ſi duæ pluresve hypothecæ ſunt conſtitutæ, & dubitatur, quæ ſit prior, melior conditio eſt poſſidentis. *L. Si debitor. 1. de pignor.* Neguz. *tr. de pign. p. 5. m. 2. n. 31. ſub fin. verſ. ſecundò caſu, quando non apparet.*

247. De Jure Saxon. autem eo caſu quilibet creditor pro rata ſui debiti ſimul admittitur. *d. conſt. 28. poſt. pr. verſ.* Und da zwo Verpfändungen auf einen Tag geſchehen. *ubi* Dan. Moll. *n. 67.*

248. Porro locum quoque habet regula in uſuris: unde is creditor, qui ratione ſortis prior eſt, præferendus quoque ratione uſurarum, *text. L. Lucius. 18. ff. qui pot. in pign.* Bart. *ad L. Si cum dotem. §. Sin autem in ſaviſſimo. n. 7. verſ. ſed res. ſol. matr.* Mindan. *de contin. cauſ. c. 21. num. 19.* Peck. *in C. Qui prior. n. 14. X. de reg. jur. in 6.* quod maxime obtinet, quoad obſervationem Elect. Cameræ Brand. Pruckman. *vol. 2. conſ. 17. n. 24.* Facit, quod nemo creditor ſortem abſque uſuris recipere teneatur, Fab. de Anna. *conſ. 30. n. 3. vol. 1. per L. Tutor. §. Lucius. de uſur.* Neque reſtrictionem Coleri *in tr. de proceſſ. execut. part. 1. c. 10. n. 90. & 91. &* Köppen. *quaeſt. 28. n. 11. verſ. quod ipſum tamen.* admittimus.

249. Modo ſint uſuræ licitæ, utpote, quibus ad ſemiſſes usque, ſive ſex pro centum annuos hiſce in locis, edictis in id peculiariter promulgatis, jure fruimur.

250. Tertio regula adducta vera eſt, licet res oppignorata poſteriori tradatur; nam priori nihilominus jus ſuum in hypotheca ſalvum manet. Stracha de *decoct. §. Poſteaquam duce. n. 11. Br. in L. Pupillus. n. 1. ff. quæ in fraud. cred. L. Cum & ſortis. 35. §. 1. de pign. act. L. 49. de adqu. poſſ. L. 37. de adqu. rer. dom.*

251. Quarto locum habet, etiamſi unus prætenderet pignus conventionale, & alius Prætorium. Bart. Sal. & alii *in L. 2. C. qui pot. in pign. L. Si poſtquam. C. ut in poſſ. leg.*

252. Imo & inter illos, qui omnes habent pignus Prætorium, temporis prærogativa conſideratur, ſi nimirum immiſſio ſit facta ex diverſis titulis; quod ſi omnes creditores ſunt ejusdem

Digitized by Google

dem tituli, qui prior pignus Prætorium conſecutus eſt, non præfertur, ſed tunc uno immiſſo, omnes cenſentur immiſſi. *L. Si finita. 15. §. Si plures. 15. de damno. inf.* Dyn. *in C. Qui prior. de R. J. in 6. n. 14.*

253. Quinto, ſi conductor res quasdam, antequam illas in domum conductum induceret, alicui oppignoravit, hic locatori ob prioritatem temporis erit præferendus, etiamſi ante oppignorationem de locatione & conductione convenerit, cum non ex conventione priori obligetur conductor, ſed ex eo, quod inducta res eſt, quod poſterius factum eſt. *L. Perior. 11. §. 2. qui pot. in pign.*

254. Sexto, Vendicat ſibi locum regula, ſive creditor habeat generalem, ſive ſpecialem hypothecam. *L. Si generaliter. ib.* Br. & Salycet. *C. qui pot. in pign.* Hartman, *obſervat. 9. lib. 2. pract. obſerv.*

255. Unde intelligi oportet, quod nihil interſit, an res ſpecialiter vel generaliter ſit obligata, quia generalis hypotheca anterior, præfertur ſpeciali poſteriori, & e converſo generali poſteriori præfertur ſpecialis anterior. *d. L. Si generaliter.*

256. Verum ſi creditor generalem & ſpecialem habet hypothecam, tunc creditori prohibitum eſt confugere ad generalem, omiſſa ſpeciali ei tenetur inſiſtere, quatenus illa pro debiti ſatisfactione ſufficiat. *L. 2. qui pot. in pign. L. 2. C. de pign.* Bald. *in C. 1. in fin. de reſcript.*

257. Et præſumitur ſpecialis hypotheca ſufficiens eſſe, niſi contrarium probetur. Gl. *in d. L. 2. in verb. redigere.* Unde etiam æquitate inſpecta evenit, quod poſterior creditor, habens ſpecialem hypothecam, præfertur habenti generalem anteriorem, ſi illi ex ſua generali ſatisfieri poteſt, *L. 2. ubi* Bald. Salic. & alii, *C. de pign.* plus enim juris in ſpeciali hypotheca conſtituitur creditori, quam generali. Gl. *in §. Non igitur. N.*

258. Septimo procedit regula, etiam in privato & fiſco; nam etiam privatus prior, expreſſam hypothecam habens, præfertur fiſco poſteriori, *L. 8. qui pot.* ſecus eſt, ſi privatus tantummodo habeat tacitam anteriorem. Vide ſupra th. 164.

259. Inſuper ſupra dicta regula locum habet in hypotheca



Digitized by Google

in diem, vel ſub conditione contracta, ut is, cui ſub conditione hypotheca conſtituta eſt, præferatur illi, cui ante conditionis eventum hypotheca pure conſtituta eſt, ſi poſtea conditio extiterit. *L. Qui balneum. 9. §. Amplius. 1. qui pot. in pign.*

260. Modo conditio illa ſit cauſalis, vel mixta, & non pendeat ex mera poteſtate debitoris; ſecus ſi poteſtativa, tunc enim hypotheca non retrotrahitur ad tempus contractæ obligationis, ſed attenditur tempus exiſtentis conditionis. *d. L. Qui balneum.* Neguz. *de pign. p. 5. m. 2. n. 10. verſ. ſexto decimo amplia.*

261. Porro procedit & regula in illis, qui Judicis auctoritate ratione ſententiæ pignus quoddam adepti ſunt. Neguz. *part. 3. membr. 2. & 3.*

262. Demum procedit quoque, tam in pignore tacito, quam expreſſo. *L. Si pignus. 8. qui pot. in pign.* Dyn. *in C. Qui prior. n. 15. de R. J. in 6.* Taciti enim & expreſſi par eſt virtus, & par operatio. *L. Cum quid. 3. & ib. Iaſ. num. 2. ſi cert. pet. Dyn. in d. C. Qui prior. num. 16.*

263. Quinam autem ſint illi creditores, qui habent tacitam hypothecam, hoc loco exponere, inſtituti ratio non admittit, videatur hac de re inter cæteros Ampliſſ. Dn. Præſes *in nucl. 9. tr. Diſp. 5. theſ. 4.* Neguz. *de pign. part. 2. membr. 4. num. 6. ſeqq.* Beuſt. *ad L. Admonendi. 31. de jurejur. num. 968. §. In quibus. cauſ. pign. tac. contrah.*

264. Cæterum ex hactenus adductis jam liquet, quid juris ſit, & uter præferatur, ſi pluribus eadem res hypothecata ſit, quod frequenter admodum evenire ſolet.

265. Obſervandum enim eſt, utrum ſimul, an ſeparatim diverſis temporibus oppignoratio ejusmodi facta ſit, per *L. 10. de pign.* ſi ſimul facta eſt oppignoratio, omnes in hypotheca concurrunt, quia par omnium conditio eſt, neque alius alium jure pignoris prævenit.

266. Quando ſeparatim diverſis temporibus pignus contractum eſt, is prior habetur, non qui priori loco credidit, ſed qui prius hypothecam accepit, aut qui prior jus pignoris adeptus eſt. *L. 2. & L. Diverſis. 8. C. qui pot.*

267. In conventione pignoris enim non tam reſpicitur ad con-

Digitized by Google

contractum debiti, quam ad tempus, quo pignus acceſſit, & nativitas pignoris vim acquirit, quo tempore contrahitur. Bald. *conſ. 189. n. 2. vol. 3.*

268. Porro ſpecialem hypothecam habentes, hac tamen adducta clauſula; *Et ex omnibus aliis bonis &c*, nequaquam ſpecialibus hypothecariis comparandi, ſed pro univerſalibus habendi ſunt, unde nec ab his ſeparandi, ſed ſi concurrunt, tantummodo ratio temporis habenda, ut nimirum potior ſit, qui prior. *L. Qui balneum. qui pot. in pign.*

269. Tales enim creditores, licet ſpecialiter quædam bona expreſſa in literis ſibi obligarunt, attamen per iſtam clauſulam generalem, plenius ſibi conſulere, & omnia bona debitoris ſibi expreſſe hypothecari voluerunt, ſicque ſolutionem ex omnibus bonis petere malunt, ſi forte bona, ſpecialiter expreſſa, ſolutioni non ſufficerent.

270. Ideoque non immerito iis, qui generalem hypothecam habent, comparandi, & una cum his cæteris creditoribus in ſolutione præferendi ſunt. *L. Quæ ſpecialiter. 9. C. de diſtr. pign.*

271. Et tantum etiam de hypothecariis: ſuccedunt illis *privilegia perſonalia tantum habentes*, qui præferuntur chirographariis, ſeu perſonalem actionem habentibus. Tales ſunt:

272. I. Reſpublica creditrix; omnibus enim chirographariis præfertur. *L. antepen. de priv. cred.* Reale autem privilegium non habet, niſi expreſſe ſibi de eo proſpexerit. *L. 2. C. de jure reipubl. lib. 11.*

273. Et licet ſint, qui intelligant hoc de Republ. Romana, Bart. *ad d. L. pen.* probabilius tamen videtur, omnes Reſpublicas creditrices privilegium perſonale, de quo hic agitur, habere, *d. L. 2. & L. fin. C. de jure Reipubl. L. 11. & ibi* Lucas de Penna *in rubr.* & præferri reliquis creditoribus chirographariis. Cujac. *L. 2. obſ. c. 24.*

274. II. Qui ex cauſa depoſiti, a debitore conſumpti, petit aliquid, favorem habet; & ad hunc ordinem eſt referendus. *L. Si hominem. 7. §. Quoties.* juncta *L. ſeq. depoſ.* Beuſt. *in L. Admonendi. fol. 484. §. 6. de jurejur.*

275. Modo nullas uſuras acceperit, *L. Si ventri. 25. §. 2. de reb. auth.*



Digitized by Google

*auth. jud. poſſ.* quia tunc depoſitum tranſit in mutuum, ideoque receditur a depoſiti privilegio: ſicuti de hoc latius videri poſſunt Strach. *in tr. de decoct. in ult. part. &* Molin. *in tr. de uſur. qu. 83. per tot.* ubi late explicant, in quo depoſito conſumpto id locum ſibi vendicet.

276. Unde volunt, illos, qui gratis crediderunt, præferendos eſſe fœneratoribus. Ripa. *in d. L. Si ventri. n. 8. & 9.*

277. III. Pupillus agens negotiorum geſtorum. Ripa. *in L. Privilegia. n. 1. & L. Si ventri. §. In bonis. n. 12. de priv. cred.*

278. IV. Ei, qui expreſſe ad rem emendam mutuo dedit, privilegium perſonale datur, quo aliis creditoribus, qui & ipſi jura realia nulla habent, præfertur, *L. Quamvis. 17. C. de pign.* Bart. *in L. Interdum. qui pot. in pign. L. 26. ff. de reb. aut. jud. poſſ.*

279. V. Milites, qui in legitimo bello, juſto titulo, pecuniam aliquam acquiſiverunt, eamque poſtea cuidam, accepto chirographo mutuo dederunt, ratione ejusmodi crediti, reliquis creditoribus præferuntur, cum ejusmodi bona caſtrenſia ſint, & magnum in jure favorem habeant. *L. un. in pr. C. de caſtr. omn. pal. pec. lib. 12.*

280. Quod tamen privilegium ad res, quas per fas & nefas, ſpoliaque commiſſa corraſerunt, extendendum non eſt. *d. L. unic. C. de caſtr. om. pal. pec.*

281. Nam hiſce excurſionibus ſpontaneis, ſive translationibus in Jure expreſſe prohibitis, *L. Tribuni. 11. in pr. L. Contra. 13. in fin. C. de re mil.* diſciplina militaris multum confunditur, & propter ſpolia illa militiæ nomen transmutatur in latrocinium & furtum, quæ delicta nullo favore proſequenda, ſed potius meritis pœnis punienda ſunt. Damhoud. *in prax. crim. c. 86. n. 101. & 102. 110.*

282. Niſi in hoſtes apertos ejusmodi eruptiones tempore belli juſti factæ fuerint; tunc enim omnem deprædationem ut juſtam permittendam atque cenſendam eſſe, idem Damhoud. prodidit. *d. l. c. 82 n. 6. & 9.*

283. Quibuscunque enim machinationibus hoſtis circumveniri poteſt, dolus bonus habetur. *L. 1. de dolo malo.*

284. VI. Huc referendi ſtudioſi in debitis ſuis; cum armatis

Digitized by Google

tis militibus in Jure per omnia comparentur. *L. 2. in pr. ibi: in ſacris ſcriniis noſtris militantes, ibi: literataque militia. L. 3. in pr. ibi: in ſcriniis palatii militantis. & paſſim. tot. tit. C. de Prox. ſacr. ſcrin.*

285. In his autem, quæ illis ad ſtudia debentur, præferuntur omnibus creditoribus, ſicut uxor ratione dotis, Jaſ. *ad. L. 1. ſol. matr. n. 31.* æquiparatur enim cauſa dotis & cauſa ſtudiorum. Tiraqu. *in præfat. tr. de priv. pia cauſ.* Unde dicere, ſcholares ratione debitorum ad ſtudia tacita hypotheca gaudere, non adeo abſonum eſſet. Bart. & Jaſ. *n. 50. in L. 1. ſol. matr.* Facit, quod quicquid ſtudiorum nomine expenditur, Reipubl. & Eccleſiæ nomine expenſum videatur. Nic. Boer. *conſ. 16. n. 24.*

286. VII. Monachis, Antiſtitibus, Presbyteris, Diaconis, Epiſcopis, &c. quaſi-caſtrenſe peculium conceſſum eſſe a Leone & Anthemio Impp. Eutropio PP. reſcriptum eſt, *per L. Sacroſancta. 34. juncta Auth. Presbyteros. C. de Epiſc. & Cleric.*

287. Quandoquidem & hi precibus quaſi militant adverſus hoſtes Eccleſiæ, & in perpetua quadam ſchola incluſi ſunt. *C. Perlatum. cum aliqu. ſeqq. & C. ult. diſt. 88. Gl. in C. Eſau verbo piſcatores. diſt. 86.*

288. Unde & militibus armatis in puncto prælationis æquiparandi. *arg. L. Quadam. §. Numularios. de edend.*

289. VIII. Huc referendi videntur agnati, ut fratres, ſorores, patrui, avunculi, &c. qui propter conjunctionem, quam invicem habent, naturalem, præferuntur creditoribus extraneis. *arg. L. 1. de priv. credit.*

290. De arreſtantibus ſciendum, quod Jure communi perſonaliter privilegiati illis præferantur, Weſ. *in paratit. de priv. cred. n. 9.* Jure Saxon. autem invaluiſſe videmus, ut ſi quis præ reliquis creditoribus curavit, ſibi a magiſtratu in bonis debitoris arreſtum decerni, is non modo privilegium perſonale, ſed jus etiam pignoris, quaſi prætorii, præ cæteris conſequatur & gaudeat jure prælationis. Habita tamen ratione temporis & quidem horæ & momenti, ubi primum arreſtum legitime petitum & decretum fuit, *per text. in Conſt. Aug. 28. part. 1. & ibi* Moller. *n. 3. Idem lib. 3. ſemeſtr. c. 44. n. 14.* Coler. *de proceſſ. execut. part. 3. n. 399. ſeq.*

 291. Ex-

Digitized by Google

291. Excepto caſu, quando quis poſt arreſtationem factam, hypothecam conventionalem a debitore obtinuit, talis enim anteriori arreſtanti de Jure Novello Saxonico in ſolutione præcedit. *d. conſtit. 28. verſ.* Ferner ſollen nach denen. Rauchb. *part. 1. quæſt. jur. 4. n. 26.* ubi præjudicio illud confirmat.

292. Inter ipſos autem arreſtantes habenda eſt temporis ratio, ita, ut potior ſit jure, qui prius arreſtum impetravit. *Conſt. Sax. p. 1. c. 28. §.* Ferner.

293. Cæterum de creditoribus perſonaliter privilegiatis ſciendum, quod nulla temporis prioritatis habita ratione æqualiter concurrant, & pro rata cujusque debiti admittantur. *L. Privilegia. 32. de reb. aut. jud. poſſid.* Beuſt. *d. L. Admonendi. 31. n. 968. pag. 667. in pr. Facit L. 7. in fin. ff. depoſ.*

294. Hinc ſequens diſtinctio tenenda: Aut enim creditores perſonaliter privilegiati ſunt ejusdem tituli, quia eis ex eadem cauſa debetur, & concurrunt non conſiderata temporis prioritate, *L. Privilegia. ibi: ſi ejusdem tituli fuerunt.* Si vero hujusmodi creditores perſonales prætendant diverſam cauſam debendi, ſeu titulum ſeparatum, & tunc quorum privilegia ſunt paria, ſimul concurrunt, nec reſpicitur tempus, quo contracta fuerit obligatio: quando autem privilegia non ſint æqualia, quibusdam enim magis, quibusdam vero minus ex cauſæ qualitate favendum eſt, tunc præferuntur illi, qui habent potentius privilegium. *d. L. Privilegia. ubi* Gl. *L. Si ventri. 24. §. In bonis. 2. de reb. auth. jud. poſſ.*

## V. CLASSIS.

295. ET tantum de his, quibus competit privilegium perſonale; reſtat ultimum caput hujus noſtræ Diſputationis, in quo conſtituendi ſunt illi, qui vulgo Chirographarii appellantur.

296. Creditor chirographarius (à chirographo, id eſt, ſyngrapha appellatus. Weſ. *in Paratit. de priv. cred. n. 4.* Veteres enim chirographum ſyngrapham vocarunt. Cic. *in Orat. de Aruſp. reſp.*) dicitur is, qui absque hypotheca & privilegio perſonam ſaltem ſibi obligatam habet, obligatione in chirographum redacta. Spig. *in lex. lit. C.*

297. Un-

Digitized by Google

297. Unde alio nomine nonnunquam ſimplex creditor appellatur; item perſonalis creditor. Cujac. *in parat. C. de priv. fiſci.* Idque in ſpecie, cum alioqui & is, qui privilegiarius eſt abſque hypotheca, perſonalis ſit creditor. Hartm. *lib. 3. tit. 5.*

298. Porro reperto chirographo penes debitorem, vel cancellato, præſumitur regulariter obligatio ſublata, vel ſolutione vel remiſſione. *L. Si chirographum, 24. de probat.* Sichard. *in rubr. n. 7. C. quæ res pign. obl.* Quod tamen intelligendum eſt, ut contraria probatio admittenda ſit. *d. L. Si chirographi. 24. de probat. §. Item verborum. & ibi* Schneid. *Inſtit. de inutil. ſtipul.*

299. Nudi itaque chirographarii, ſive perſonales creditores, poſtquam hypothecariis ſatisfactum eſt, & privilegiis omnibus, pro rata concurrunt, non habita ratione temporis diverſitatis. *Conſt. Elect. 28. p. 2. L. Pro debito. 6. & ibi* Bald. *C. de bon. auct. jud. poſſ.*

300. De his autem veriſſime a Weſenb. *in tit. de priv. cred. n. 9.* dici, quod in tali concurſu creditorum aliquid reſidui raro ad ipſos perveniat, multi magno ſuo malo experiuntur; ut proinde plus cautionis in rem eſſe, quam in perſonam, res ipſa oſtendat. *L. Plus cautionis. 25. de R. J.*

301. Si tamen re adhuc integra, chirographarius plenariam ſolutionem accepiſſet, eandem nec pro rata cum aliis participari cogi poſſet; Moll. *l. 2. ſem. c. 4. per text. L. 6. §. 7. L. Popillus. 24. quæ in fraud. cred.* ubi id, quod juſte exſolvitur creditori vigilanti, cæteris creditoribus exactionem negligentibus revocari nequit, quoniam alii creditores id ſuæ negligentiæ expenſum ferre debent, cum jura vigilantibus ſcripta ſint. *L. fin. C. de alluv.*

302. Quam tamen ſententiam in multis caſibus non recipiendam eſſe arbitramur, vel ubi creditor, qui pecuniam vel a debitore, vel ex depoſito accepit, propter aliorum creditorum concurſum cautionem præſtitit. *L. Procuratoris. 5. §. ult. de trib. act.* Stracha *de decoct. part. ult. num. 34.* Diverſum erit, ſi creditor pecuniam accipiens, propter controverſiam a debitore motam, non propter creditorum jura caverit. Frider. *de continent. cap. 15. n. 9.*

303. II. Si debitor ab aliis quoque creditoribus de ſolutione

ne appellatus, poſteriori tamen ſine cautione gratificatus fuerit & ſolverit. *L. Si non expedierit. 6. §. Si pupillus. cum §§ ſeqq. de bonis aut. jud. poſſ.* Dyn. *in C. Qui prior. num. 23. d. R. J. in 6.* Dolo enim vel culpa carere non videtur, qui jam mota controverſia, pecuniam litigioſam aliis ſine cautionibus ſolvit. *L. Julianus. §. Marcellus. 4. de exhib.*

304. III. Quando bona jam poſſeſſa ſunt, & creditor ex bonis poſſeſſis ſuum recipit, tunc illud recte revocatur, & reliquis creditoribus communicatur. *L. Quod autem cum poſſit. 6. §. Sciendum. 7. quæ in fraud. cred.* Martin. Piſtor. *l. 3. qu. 20. n. 1.*

305. IV. Limitatur, ſi pecunia exſoluta poſteriori vel non privilegiato creditori nondum ſit conſumpta, ſed adhuc extet, quia tum per hypothecariam revocari poteſt. *L. Si rem meam. L. 20. L. Qui res ſuas. 98. de ſolut.* Joh. Andr. *ad Specul. Rubr. de obl. & ſol. verſ. primo caſu ſi extet.*

306. V. Limitatur in creditore, qui a debitore violenter debitum extorſit, tunc enim recte reliqui creditores id, quod extortum eſt, ad communicandum revocare poſſunt, *L. Pupillus. 24. ſub fin. verſ. & ſi extorſerim. quæ in fraud. cred. ubi* Bart. *n. un. poſt med. verſ. aut tunc per extorſionem.*

307. Quod tamen verum eſt, ſi extorſio a debitore in ſua ſtatione manente, ſecus ſi extorſio facta eſt in ſubſidium, puta quia debitor cum pecunia aufugit, & copia Judicis haberi non poterat, tunc illud, quod hoc modo extortum eſt, communicandum non venit. *L. Ait Prætor. 10. §. Si debitorum. 16. quæ in fraud. credit.* Cujac. *l. 6. obſ. c. 19. per tot.*

308. VI. Et ultimo limitatur in creditore, qui ſimile privilegium fiſco habet, Afflict. *Deciſ. 109. n. 9. in fin.* ut mulier reſpectu dotis, *L. 2. & ibi* Bartol. *C. de priv. fiſci.* Covarr. *in pract. quæſt. c. 29. n. 1. & 2.* ubi teſtatur, ita in Regio Prætorio Granatenſi judicatum fuiſſe. Menoch. *conſ. 25. n. 4. l. 1.* Et tantum Dei beneficio pro temporis, ingenii atque materiæ hujus conditione tradidiſſe ſufficiat.

SOLI DEO, CUI SEMPER REVERENTIA & PRÆFERENTIA DEBETUR, SIT LAUS & GLORIA, AMEN!

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## Rerum præcipuarum, quæ tam in prælectionibus, quam in additionibus continentur.

*Prior numerus caput, poſterior paragraphum denotat, adjecta vocula* ad *notas ſignificat & additiones.*


### A.

*ACTA.*

COncurſus plerumque vaſta, *6. 2.* ſolent ergo transmitti integra ad Judicem ſuperiorem originalia, ſi appellatum fuerit, ſub ſigillo Judicis. *ib.*

*Addictio. vid. Subbaſtatio.*

*Adminiſtratio bonorum debitoris*

interdum viduæ debitoris committitur, quod tamen neceſſarium non eſt. *1. 11. & ibid. not. p. 24.*

*Vid. Curator bonorum.*

*Agnatus*

conſentire ad obligationem feudi nolens ſine cauſa, habetur pro conſentiente. *5. 22.*

Agnatis proximioribus conſentientibus, conſenſu illorum opus non eſt, qui ex his deſcendunt. ad *5. 22. p. 89.*

*Annui Reditus*

ſunt in *ſecunda claſſe*, *5. 20.* niſi per contractum conſtituti. *ibid. not. p. 86.*

*Appellatio*

contra ſententiam prioritatis admittitur. *6. 1. Add. 6. 2.* Per appellationem non tota ſuſpenditur ſententia, ideoque in punctis non appellatis decernenda executio a Judice ſuperiore, inprimis ſi lis inter poſteriores creditores. *6. 4. ibique not.* Si pares? *ibid.* Antequam aperiatur, laborandum de compoſitione per transactionem. *6. 5.*

*Arreſtum*

Jure Sax. non Marchico pignus tribuit. *5. 50.*

### B.

*Beneficium Competentiæ*

competit Eccleſiæ & civitati, *p. 13. 7. 20.* item vaſallo, ut ſervitia præſtare poſſit *ibid.* Nobilibus non competit. *ibid.*

*Bona debitoris*

diſtrahi regulariter ſolent demum finito proceſſu liquidationis, ni-


 ſi ob

Digitized by Google

ſi ob urgentem cauſam id fieri debeat, quales ſunt 1. 13.

Si ſubhaſtata nullum inveniant emtorem, traduntur in ſolutum creditoribus, qui tenentur accipere. 7.14. Quomodo feudalia? *ib.* & *§. 15. Vid. Feuda.*

C.

*Cambialis Proceſſus*

ad capturam debitoris non ſiſtitur, moto concurſu. *p. 17. in med.*

*Cambium*

perperam in prælatione depoſito æquiparatur: *5.5.* & *ibi not. p.69.* Non præſtat privilegium perſonale. 5. 61.

*Caſus dubii*

quidam ex Carpz. referuntur, & deciduntur ſecundum Statuta March. 5.72.

*Cauſæ cognitio*

in multis locis præcedit concurſum a debitore motum. *p. 11. init.*

*Cauſæ continentia*

inducitur per motum concurſum. *1.8. n. 4 Ratio in not. ib. p.19.*

*Cedere bonis. Ceſſio bonorum.*

Ad eam ſe offert debitor concurſum moturus, & eſt juramento confirmanda. c. 1. §. 3.

Eccleſia poteſt bonis cedere. *p. 12.*

Ceſſio bonorum fieri debet in manus Judicis vel ſequeſtris, & realiter. *c. 1. §. 6.*

Quomodo differat a Proceſſu concurſus alias. *p. 14.*

*Ceſſionarius*

in concurſu cedenti præferendus. 2. 9. ratio notatur *ibid. p. 38.*

*Chatoul-Gelder.*

*Vid. Fiſcus.*

*Chirographarii*

in ultimam claſſem referuntur. 5. 66.67.

*Citatio in concurſu creditorum*

fieri debet a Judice competente debitoris, inſtante debitore, vel contradictore, vel curatore bonorum. 2. 1.

Eſt monitoria. 2. 1.

Quando fieri poſſit a Judice delegato. *not. ib. p. 28.*

Citatio omnis ad notificandum etiam extra territorium valide fieri poteſt. *ad 2. 1. p. 29.*

Edictalis plerumque ſufficit, 2. 2. & utiliter adhibetur, etiamſi caveant creditores, ſe reliquis ſatisfacturos. *ibid.*

Specialis multa incommoda habet. *ad 2. 2. p. 30.*

Certi, ſpecialiter ut citentur, reliqui edictaliter, optima cautela eſt; etiam in Sax. El. fundata. *ibid. p. 30.*

Si peremtoria debet eſſe, una non ſufficit,

ſufficit, aut debet continere ſpatium trium citationum, ut in Sax. El. 2. 3. *ibique not.*

Edictalis citationis duplex forma, & quæ commodior. 2. 4.

Edictalis citatio non inducit litis pendentiam, nec inhabiles habilitat. 2. 9.

Affigi ubi ſoleat, & quamdiu maneat affixa, 2. 10. *ibique not.*

In Sax. El. *diſt. ibid. not.*

*Civitas*

poteſt excitare concurſum ſine decreto, *c. 1.* §. *5.* quo tamen opus eſt, ſi bona creditoribus diſtribuenda. *ib. not. p. 13.*

Habet beneficium competentiæ. *ibid.*

Habet tacitam hypothecam in bonis adminiſtratoris. *5.* 5. n. 4.

*Claſſes Creditorum*

V. ſunt. 5. 4.

1. Eorum, qui dominium,
2. eorum, qui jus reale privilegiatum,
3. qui hypothecam,
4. qui perſonale privilegium habent.
5. Cirographariorum merorum.

*Clerici*

bonis cedere poſſunt. *p. 8.*

Clericus, posſidens hypothecam, non opus habet liquidare bona ſua in concurſu, nec coram laico Judice comparere. *ad 2. 5. p. 33.*

*Collecta.*

*Vid. Fiſcus.*

*Collegium*

poteſt excitare concurſum ſine decreto, *c. 1.* §. *5.* quod tamen requiritur, ſi bona creditoribus diſtribuenda. *ib. not. p. 13.*

*Vid. Perſonale privilegium.*

*Commiſſarii*

in concurſu creditorum in quem finem conſtituantur. *ad 1. 2. p. 9.*

*Communio bonorum*

per concurſum inducitur, *1. 8. n. 5.* improprie tamen ſic dicta. *ib. not. p. 19.*

*Compenſatio.*

*Vid. Reconventio.*

*Competentia fori*

in concurſu ex perſona debitoris æſtimanda. *not. ad. c. 1.* §. *2. p. 8. ſ. & 9.*

*Competentiæ beneficium.*

*Vid. lit. B.*

*Concurſus Creditorum.*

*Vid. inf. Proceſſus concurrentium Creditorum, lit. P.*

Concurſus vocabulum quot modis ſumatur in jure noſtro: *not. ad c. 1.* §. *1. p. 3. 4.* vel applicatur rebus, vel actionibus, vel perſonis. *ibid.*

Quotuplex ſit. *c. 1.* §. *1.*

Hic intelligitur ratione debitoris



Digitized by Google

obligati. *ibid. p. 4.* & quæ ejus requiſita. *c. 1. §. 2.*

Concurſus particularis quis dicatur: *c. 1. §. 1. n. 3.* talis dicitur vel ratione ſubjecti, vel objecti. *not. ad c. 1. §. 1. p. 6. f. & p. 7. init.*

Movendus a debitore regulariter. *c. 1. §. 3. ibique not. p. 10.*

Ejus finis eſt, ut creditoribus ſatisfiat. *ad c. 1. §. 4. p. 11.*

Semel motus, quos habeat effectus? *c. 1. §. 8.* Eo ſemel moto, nec debitori, nec judici licet uni præ altero in adjudicando favere, cum omnes æquale jus habeant, *ib. n. 5. & not.* non tamen impedit, quo minus creditor tertium hypothecæ ſuæ poſſeſſorem conveniat, 1. 9. aut correum. *ibid.* Non privat debitorem dominio, nec poſſesſione rerum vel actionum, *ibid.* quod explicatur *in not. p. 20. f. & 21. init.*

Sumtus ad concurſum. *vid. lit. S.*

Ad proceſſum concurſus creditorum nemo invitus remittendus, *2. 9. ibique not. p. 38.* nec ab eo quisquam removendus *ib.* lim. *ibid.*

Ei opponi poteſt nullitas. 7. 24.

*Concurſus Particularis*
*Vid. Concurſus Creditorum.*

*Confeſſio*
debitoris, qui decoxit, ſola, ſuſpecta. *ad 4. 2. p. 56. ad 4. 7. p. 59.*

*Continentia cauſæ.*
*Vid. Cauſa continentia.*

*Contradictor*
quis dicatur. 1. 10.

Quod ejus officium. *ibid.*

Liquida jura non debet diſputare. *ibid. not. p. 22.*

Ante omnia conſtituendus eſt in concurſu. 1. 10.

Quomodo differat a curatore bonorum, & a procuratore creditorum communi. *ibid.*

Tenetur non conficere, ſed exhibere inventarium, 3. 1. in ſpecie nominum activorum & paſſivorum, *ibid.* bonam fidem & liquida jura agnoſcere, non diſputare, *ibid.* mandatum exigere a procuratoribus, 3. 2. omnes exceptiones conquirere, quas debitor opponere potuiſſet: documenta producta probe conſiderare, 3. 3. exceptionem in continenti liquidabilem brevius allegare. 3. 4.

Si non poſſit in continenti probare exceptiones, & teſtibus opus ſit, ne protrahatur concurſus, quomodo agendum. 3. 7.

Vid. *Juramentum.* it. *Reconventio. Solutio.*

*Contributiones.*
*Vid. Fiſcus.*

*Creditor. Creditores*
ſequuntur forum debitoris. *c. 1 §. 2.*



Digitized by Google

Convocandi ſunt ad inſtantiam debitoris, *c. 1. §. 3.*

Poſſunt & ad deliberandum & tranſigendum, non ceſsionis gratia convocari, *c. 1. §. 3.* inprimis ab heredibus. *ibid.*

Invito debitore non poſſunt concurſum movere, *ad c. 1. §. 3. p. 10.* quod lim. *ibid. & c. 1. §. 4.*

Poterunt concurſui contradicere, ſi in fraudem eorum eo provocet debitor. *ad c. 1. §. 3. p. 10. & 11.*

Creditor nomen in concurſu profeſſus, poteſt tamen contra tertium hypothecæ ſuæ poſſeſſorem agere. 1. 9.

Creditor, qui quid erogavit ad promovendum concurſum, id poteſt repetere ex bonis pendente concurſu. *ad 1. 12. p. 26. vid. inf. Sumtus ad Concurſum.*

Citati ſi debita ſalva habere velint, comparere tenentur. 2. 5.

Omnes, etiam clerici & fiſcus, aut qui coram ſuperiori judicio debitorem convenit, debent in judicio concurſus ſe ſiſtere, 2. 5. quod tamen explicatur *ibid. not. p. 33.*

In certa bona immisſi contra concurſum, in ſui, non aliorum præjudicium proteſtantur. *2. 6. Ratio in not. quod ampl.* Etiamſi creditori res quoque adjudicata, vel in ſolutum data, *ib. not. p. 34.* niſi id factum ſub haſta. *ib.*

Creditores etiam in diem vel ſub conditione poſſunt & tenentur nomina ſua profiteri. 2. 7.

Creditor fidejuſſores habens, an poſſit concurſum negligere, & contra fidejuſſorem agere? *ad 2. 7. p. 36.*

Cum creditore, qui aliis obligatus eſt in concurſu, quomodo debitoribus ejus intervenientibus agendum. *ad 2. 9. p. 38.*

Creditori, cujus crediti deductio peculiarem proceſſum requirit, quomodo ſuccurrendum. 3. 5.

Creditor probare tenetur, debitorem principalem non eſſe ſolvendo, ſi liquidatum ex fidejusſione conveniat, *cap. 3. §. 10.* itemque intentionem ſuam, antequam probatio exceptionis a contradictore publicetur. *ibid. Ratio not. p. 49.*

Creditores, qui in nullo termino comparuerunt, in tertio excluduntur, 3. 11. an ipſo jure, an per ſententiam? *ibid. not. p. 50.* excidunt tamen tantum quoad bona, concurſui ſubjecta, *ibid.* in Camer. tamen Brandenb. etiam in inſtantia appellationis admittuntur. 3. 11.

Si nonnulli credita ſua probare non potuerunt, conditionali ſententia juvantur interim. 3. 15.

Debent ſuper prioritate diſputare. *4. 1.*



Digitized by Google

Vid. *Prioritas.*
Creditoribus, ſuper prioritate diſputaturis, ad quæ reſpiciendum. *c.4.§.6.*
Creditor concreditori poteſt deferre juramentum, *4. 8.* quod tamen juramentum præſtitum reliquis creditoribus, qui non detulerunt, non præjudicat. *ib. not. p.60.*
Creditores defuncti habent jus ſeparationis. *5.12.vid. Separatio.*
Creditores, qui ex concurſu nihil conſecuti ſunt, actionem perſonalem habent ſalvam, contra debitorem, 7. 13. imo & hypothecariam. *ibid. not.*
Bonis, ſub haſta venditis, non tenentur ad evictionem quoad intereſſe; *7.18.* in Marchia tamen quilibet pro rata promittere eam tenetur. *ibid.*
Remitti poſſunt ad bona in alia provincia, ſi ipſis ſatisfieri nequeat. *7. 21.*

*Creditum*

probari etiam in concurſu per teſtes poteſt. *ad 4. 2. p. 56.*

*Curator bonorum*

differt a contradictore. *1. 10. & 11.*
Ejus officium multis in locis cum officio contradictoris coincidit. *not. ib. p. 22.*
Quem in finem conſtituatur. 1. 11.
Tenetur ad inventarium, *ib.* quod lim. *ib.* cui conficiendo utiliter adhibetur commiſſarius. *ibid. not. p. 24.*
Eligitur a creditoribus, *1. 11.* per majora, *not. ib. p. 24.* aut, ſi de majore parte non ſatis conſtet, per judicem. *ibid.*
Inventario omiſſo tenetur ad juratam ſpecificationem. *ibid.*
Non poteſt alienare, niſi conſentiant creditores, *ib. p. 25.* nec ſolvere, niſi decreto magiſtratus. *ib.*
Tenetur ad rationes & cautionem. *1. 11.*

# D.

*Debitor.*

Debitori communi dilatio concedi nequit, niſi concurrentibus creditoribus & a majori parte, *c. 1. §. 1. & not. p. 5.* multo minus & quicquam remitti poteſt, ut omnes ſtringat remiſſio, niſi concurrant. *ib. & not p. 5. vid. Remiſſio*
In concurſu creditorum non actor, ſed reus eſt, *p. 7. & 8.* eligit forum, ſi plura habeat; modo judex videat, ne id fraudulenter petat, ut ſi jam plures creditores aliquod judicium elegerint. *p. 8.*
Ipſe convocationem creditorum petere debet, *c. 1. §. 3.* etſi non ſemper ceſſionis bonorum cauſa. *ibid.*
Ad juramentum malitiæ alicubi adſtringitur concurſum moturus. *ad c. 1. §. 3. p. 11.*
Debitore invito, & ad ſolutionem

ſe

Digitized by Google

ſe offerente moveri nequit concurſus, *c.1.§ 4.* quin etiamſi jam motus ſit, licet pœnitere, & concurſus caſſandus. *ibid. not. p. 11.*
Niſi jam addicta bona creditoribus. *ibid.*
(In Sax. tamen El. annus ad reluendum datus *ibid. Vid. Reluitio.*)
Et niſi fruſtratorio id fiat animo. *ibid. p. 12.*
Debitor interdum in bonis ceſſis ſolet retineri, tanquam conductor vel curator, *c. 1. §. 6.* quod tamen periculoſum. *ib. not. p. 14.*
Concurſum moturus non præciſe tenetur exprimere nomina creditorum, niſi judex exigat. *cap. 1. §. 7.*
Moto concurſu retinet dominium & poſſeſſionem bonorum ſuorum aut actionum. *1. 9. & ibi not. p. 10. & 21.*
Poteſt etiam moto concurſu hereditatem repudiare. *1. 9. Rat. p. 23. ad verb. Repudiare.*

*Deponens*

rem exſtantem ex concurſu præcipit, 5. 5. ſi plures concurrant, res ſuas exſtantes vindicant: conſumtis vero, concurrunt pro rata inter perſonaliter privilegiatos. *ad 5. 5. p. 68.*
Habet perſonale privilegium in re depoſita conſumta. *5. 61.*
(In Sax tamen in depoſito neceſſario præfertur arreſtantibus. *ad 5. 61. pag. 111.*)
Quod lim. *ib. & not.*

*Dignitas.*

Creditum ad conſequendam dignitatem, habet peculiarem prælationem in ſecunda claſſe, 5.26. modo dignitati ſit junctum certum ſalarium. *not. ibid. p. 91.*

*Dilatio*

in concurſu creditorum non niſi ob urgentiſſimam cauſam danda. 3. 13.

*Diſputatio ſuper prioritate. Vid. inf. Prioritas.*

*Documenta*

conferre probe tenetur contradictor, & horum copiæ relinquuntur in judiciis. 3. 3.

*Dominus*

rei, a debitore detentæ, tenetur etiam profiteri nomen ſuum in concurſu, probato tamen dominio, non tenetur exſpectare finem concurſus. 2. 8.
Quilibet præfertur aliis debitoris creditoribus, *5. 5. & ibi not.* ut rei furtivæ. *5. 9.*

*Dos. Vid. Uxor.*

illata reſtituenda in ſecunda claſſe, 5. 27. prioris uxoris præfertur illatæ a ſecunda, *ib* ſi non exſtent dotes, *not. ib. p. 92.* præfertur omnibus hypothecis etiam expreſſis anterioribus, *ib.* in Sax. tantum priori tacitæ. *ibid.*

Priori-

Digitized by Google

Prioritas etiam competit augmento dotis, 5.28. niſi concurrat cum fiſco ex contractu agente. *ib.*

Licet uxor ſciens obærato nupſerit, 5.29. etiam in Sax. El. *ib. & not.*

Niſi culpa vel dolus uxoris inopiæ cauſam dederit, *ibid. & 5.31.* aut niſi mulier in propriam utilitatem contraxit, 5.30. quod tamen diſtinctione expeditur, *ibid.* it. niſi dotis illatio ſola confesſione mariti probata, 5.32. quod limit. *ibid.* aut niſi exſtet res dotalis etſi deteriorata. 5.36.

Non gaudet hoc privilegio mulier ratione ejus, qui ad militiam credidit, nec ratione debiti primipilaris, nec ſi renunciarit, ubi tamen diſt. *5.37.*

Cum dote concurrit fiſcus, *5.38. vid. Fiſcus.* it. qui ad refectionem domus vel fundi credidit, *5.39.* non qui ad emendam rem credidit, & ex cujus pecunia res emta, 5.40. niſi ſpecialiter vel generaliter res emta obligata pignori, *ibid.* quod prolixe explicatur in not. *p. 102. 103.*

*Dotalis Pecunia.*
*Vid. Lit. P.*

*Dotalitium.*
*Vid. Uxor.*

In ejus poſſesſione vidua defendenda eſt, donec vivat. 7.22.

## E.

*Eccleſia. Res Eccleſiaſtica.*

poteſt concurſum excitare etiam ſine decreto, *c. 1. §. 5.* in bonis tamen creditoribus diſtribuendis opus eſt decreto. *not. ib. p. 13.*

Habet Beneficium competentiæ. *ad c. 1. §. 5. p. 13.*

Ratione mutui ab ea contracti, non gaudet jure reali privilegiato in ſecunda claſſe. 5.18.

In Saxonia ſpecialiter habet tacitam hypothecam ex credito indiſtincte, *ad 5.18. p. 85.* in Marchia tantum privilegium perſonale habet tac. hyp. in bonis adminiſtratorum. *5.51. n. 3.*

Eccleſiæ datur reſtitutio in integrum ob debitum hypothecarium non liquidatum. *7.27.*

*Edictalis citatio.*
*Vid. ſup. Citatio.*

*Exceptio.*
*Vid. ſup. Contradictor.*

Etiam illiquidæ exceptiones admittuntur in Proceſſu concurſus creditorum. *ad 3.4. p. 43. & 3.5.*

Omiſſa a contradictore poteſt ſuppleri a cæteris creditoribus, *3.8.* quod explicatur ulterius *in not. p. 47.*

Non num. dotis opponi poteſt a creditoribus, etſi maritus non posſit amplius. *ibid. & not.*

Inter-

Digitized by Google

Interdum exceptio non datur debitori, ſed creditori poſteriori, exempl. *p. 1.*

Si ex actis appareat, licet non opponatur, ſupplenda a Judice, *2 9.*

*Executio ſententiæ.*

In executione ſententiæ definitivæ non habetur ordo *L. 15. §. 2. de re jud. 7. 1.*

Conſiſtit in taxatione & addictione 7. 2.

*Expenſæ funebres.*

Omne creditum præcedunt, & in ſecunda claſſe ſtatim ſequuntur illos, qui jus ſeparationis vel quaſi habent. *5. 14.*

Si ex æquo & bono expenſæ, etiam in propinquum funerandum, *ibid.* ſecus Jure Sax. *not. ib.*

Ex feudo non niſi in ſubſidium præſtandæ. *not. ib. p. 79.*

Continent veſtes lugubres. *5. 14.*

Non convivium, *ib.* niſi ratio loci id exigat. *not. ib. p. 80.*

Non ſint immoderatæ, etſi defunctus ita ordinaverit. *5. 14.*

Juramento expendentis nonnunquam probantur. *ibid & not.*

*Expenſæ in morbum*

ultimum, hypothecis præferuntur, *5. 15.* quamvis eadem ſit ratio expenſarum ad priores morbos. *ib. & not.*

F.

*Famuli*

ſtipulando uſuras, an renuncient privilegio ſuo. *Neg. 5. 17.*

*Feudum.*

Feuda in Pom. & Duc. Megap. æri alieno obnoxia, *ad 5. 12. f* ut & ante ann. 1653. in El. Brand. *ib.*

Ut obligari poſſit, conſenſu domini opus, & agnati, ſi ei præjudicari debet. *5. 22.*

In Marchia poſt ann. 1653. *5. 24.*

Fructus feudi ſunt allodiales. *ad 5. 22. p. 89.*

In feudis nulla competit tacita hypotheca, *5. 53.* quod lim. ex Jure feud *ib.* & moribus. *in not.*

Quoad ſubſtantiam etiam in Pomerania dantur in ſolutum. *7. 14.*

In Marchia non aliter, niſi vocatis agnatis & ſimultanee inveſtitis, & his emere nolentibus. *7. 15.*

Feudum Jure communi non niſi ob debita feudalia diſtrahitur, quoad alia datur fruendum, vel ejus particula, donec vaſallus cum ſua progenie vivit. *7. 16.*

*Fidejuſſor*

poteſt impedire executionem, ſi præſtet cautionem, ſi ex concurſu non fuerit ſolutum, de debito ſolvendo. *ad 1. 9. p. 20.*

*Fiſcus*

ad concurſum vocatus, non poteſt integrum concurſus judicium ad ſuum forum trahere; ſecus ſi ſeparatim agat. *not. ad c. 1. § 2 p. 9.*



Digitized by Google

Habet dominium in rebus caducis, *ſ. 10.* & quomodo, *ib.* item in rebus commiſſis exſtantibus intra quinquennium, *ib.* item ratione collectarum & contributionum ordinariarum & extraord. ex Receſſibus Marchicis, *ſ. 11.* item ratione der Schöſſe/ und Chatoul-Gelder/ itemque ratione adminiſtrationis rei monetariæ omnibus aliis præfertur, *ad ſ. 11. p. 74. 75.* diſtingvitur tamen ratione collectarum, an concurrat fiſcus cum domino in re non collectabili, *ſ. 11.* quod explic. *ib. not. p. 75. & ſeq.* in Sax. tributa poſtponuntur expenſis fun. & merced. fam. *ib. p. 75.*

Concurrit cum dote in bonis, poſt contractum fiſcalem quæſitis, *ſ. 38.* quod jus prælationis etiam competit civitatibus Sax. mero imperio gaudentibus. *ſ. ad 38.*

Non vero in pœnis, ubi tantum hypothecam habet. *ibid.*

In bonis ante contractum fiſcalem quæſitis debitore poſſeſſis ſimplicem tantum hypothecam habet. *ſ. 51. n. 7.*

*Fructus*

feudi ſunt allodiales. *ad ſ. 22. p. 89.*

*Frumentum*

ſementarium, æquiparatur mercedibus famulorum. *ad. ſ. 18. p. 85.*

G.

Gand-*Proceſſ*

dicitur Proceſſus concurſ. cred. & unde. *p. 4.*

H.

*Heredes*

deliberantes poſſunt convocare creditores, nec ita adeunt, nec repudiant hereditatem. *c. 1. §. 3.*

*Hypotheca*

ante traditionem rei venditæ conſtituta operatur jus prælationis ratione ipſius quoque emtoris, *ſ. 13.* ſecus ſi traditio jam facta, *ibid. not.* ubi tantum hypothecis poſterioribus præfertur. *ib.*

Tranſit ad emtorem. *ſ. 13.*

Feudalis conſenſuata allodialem priorem non tollit, etſi etiam ſit extenſa ad allodialia. *ſ. 23.*

Judicialis poſterior præfertur privatæ, *ſ. 43.* etiam in mobilibus, licet non Jure Sax. *ſ. 44.* qualis ſufficiat confirmatio Judicis. *ib.*

Publica eſt etiam 3. teſtium ſubſcriptione munita, *ſ. 45.* (ſecus Jure Sax. *ib. & not.*) & ſecundum quoſdam ea, quæ privatim facta coram Judice recognita, *ſ. 46.* quod ſolum non ſufficit in Sax. *not. ib.*

Qui hypothecam nudam ſine privilegio habent, ſunt in claſſe tertia. *ſ. 48.*



Digitized by Google

Expreſſa quibus formulis conſtituatur. 5. 50.

Tacita hypotheca quibus competat, *5.51.* inter alios cui debentur certi reditus cenſus, decimæ, canon &c. *5 51. n. 8.* Sine textu non eſt conſtituenda, exempla. *5. 52.*

Specialis ante generalem excutienda. *5.* 56.

Tempore prior præfertur tempore poſteriori, quod ampl. 5. *57.* declaratur. 5. 58. & limitatur. *ib.*

Hypothecarius creditor quando inter chirographarios referatur. *5. 59.*

Si hypotheca prioris creditoris, ſpecialem habentis, a prioribus creditoribus generalem habentibus fuerit ablata, an ille ſequentem creditorem ſpecialem pariter hypothecam habentem excutere poſſit, præjud. annectitur. *p. 59. ſeq.*

# I.

*Immisſio*

ante concurſum facta non tollitur moto concurſu &c. *ad 2. 6. p. 35.*

Obligat ad rationes de fructibus perceptis & percipiendis immiſſos creditores. 3. 12.

Judicialiter immisſi habent pignus judiciale, quod decl. *5. 54.* & lim. *ibid.*

*Induciæ moratoriæ*

communi debitori aut concurrentibus omnibus creditoribus, aut a majori parte concedendæ, ut omnes ſtringant, *c. 1. §. 1. & not. p. 5.* quæ dicuntur induciæ conventionales. *ib. p. 5.*

*Inſtantiæ primæ beneficium*

non actori, ſed reo indultum, eique renunciare licet, ſicut appellationi. *c. 1. §. 2. & not. ibid. p. 8.*

*Interventio*

ſpeciem nonnunquam habet concurſus, *1. §. 1.* in omni lite admittitur, ſi interveniens juret de cal. & intereſſe demonſtret. *p. 6.*

Uxori pro dote quando permittatur. *p. 6.*

*Inventarium*

bonorum etiam ſolet exigi a debitore ad concurſum provocante, *p. 15.* conficere tenetur curator bonorum, *1. 11.* aut confectum revidere, *ib. not. p. 25.* tutius tamen ejus confectioni adjunguntur commiſſarii, *ib.* quid continere debeat. *ib.*

*Judex*

vel ordinarius, vel etiam ſuperior, ſtatim poteſt adiri a debitore, atque ab eo convocatio creditorum peti. *c. 1. §. 2.*

Si hereditas ſit jacens, is judex convocabit creditores, qui fuit defuncti judex. *c. 1. §. 2.*

Si plures habeat judices debitor,



Digitized by Google

ejus electio eſt, modo, ſi plures jam creditores unum elegerint, id fraudulenter non petat. *p.* 8.

Judex poteſt ad inſtantiam creditorum locare bona immobilia. 1. 13.

Tenetur ſupplere exceptiones omiſſas, ſi ex actis appareant. 3.9.

Judicis præcipuæ partes ſunt in prioritati aſſignanda. *4. 6. ib. not.* & *7.*

Poteſt juramentum ſuppletorium deferre creditoribus ob defectum probationis prioritatis. *4.8*

Judex a quo ſi appellatum fuerit, poteſt integram cauſam remittere ad ſuperiorem, aut ſuper reliquis punctis cognoſcere, niſi maximi momenti videat eſſe appellationem. 5. 3.

Non tenetur ad evictionem de bonis ſub haſta diſtractis. 7. 18.

*Juramentum*

malitiæ præſtare in Pom. debet debitor concurſum moturus. *ad c. 1. §. 3. p. 10. ſeq.*

Judiciale deferre nequit contradictor, ſed ſibi delatum præſtare. *3. 13.*

Neceſſarium a judice deferri poteſt creditori, qui ſemiplene probavit, 3. 13 non tamen uxori, ſi ſolam mariti confesſionem habeat. *ib.* & *not.*

Creditor concreditori poteſt deferre juramentum ſuper prioritate, ſed in ſui tantum, non aliorum præjudicium. *4.8. ibid. not.*

*Jus offerendi*
*Vid. lit. O.*

*Jus Separationis.*
*Vid. lit. S.*

K.

**Koſtgeld**

æquiparatur mercedibus famulorum in concurſu. *ad 5. 18. p. 85.*

L.

*Legatarius*

habet hyp. tac. in bonis teſtatoris reliquis, quæ tamen in materia prælationis nullius eſt effectus. *5. 51. n. 5.*

*Legitimatio Procuratoris.*
*Vid. Mandatum.*

poteſt ſuſpendi a judice ad proximum terminum. 3. 2.

*Liberi*

in caſtr. quaſi caſtr. & advent. omnibus aliis creditoribus, 5. 8. quin & in diſtractis, *ib. not.* idem in munuſculis patrinorum, *ibid.* ratio. *not. ib. p. 71.* quorum tamen conſumtorum ratione, liberis hypotheca competit, *ibid.* ratione bon. advent habent tac. hyp. *5. 51. n. 1.* item in bonis vitrici, & in bonis patris & matris certis caſib. *ib. n. 9.*

*Licitatio.*
*Vid. Subhaſtatio.*

*Locator*

Digitized by Google

*Locator*

habet tacitam hyp. in rebus a conductore illatis in præd. urb. & in fructibus prædii ruſtici. 5. 51. *n. 4. ubi vid. not. p. 114.*

## M.

### Mäckler.

Si proxeneta judæus pignus pro majori ſupponat, quam in mandatis habuit, cujus id damno facit, ſi ſuperfluum ſibi retineat? *Reſp. ad 5. 9. p. 72.*

*Magiſtratus*

onera magiſtratibus debita & reditus ex agris in ſecundam claſſem ſunt referenda. 5.19. Decima tamen, quindena, gabella, detractionis & emigrationis, ſi quidam creditores ſint extranei, deducitur poſt omnes creditores, item pœnæ fiſcales, 5.69. de Gabella tamen emigrat. dub. *in not. ib. p. 127. ſeq.*

*Mandatum.*

*Vid. Procurator.*

*Maritus*

in bonis ſoceri vel promiſſoris, ratione dotis ſolvendæ habet tac. hypoth. *5. 51. n. 10.* ubi *vid. not. p. 112.*

*Mercedes famulorum*

ſunt in ſecunda claſſe Jure March. ſequuntur expenſ fun. & morb. Jure Sax. præcedunt. 5. 16. Interpretes Jure Sax. requirunt, ut tempore mortis vel moti concurſus fuerint in domo debitoris; quod tamen in March. non attenditur, *ibid.* nec ex ipſo Jure Sax. probari poteſt, *ibid. not. pag. 82.* Nec reſtringendum hoc privilegium ad famulos, qui in ædibus & convictu debitoris operas præſtiterunt. 5.16.

Ampl. privil. in pædagogis, liberis, quibus pro ſervitiis certa merces conceſſa, *ibid.* item ſartoribus, in ædibus domini degentibus, *ibid.* quantitatem mercedis juramento probare poſſunt famuli. 5. 17.

Eodem jure gaudent impenſæ ad cultum agrorum. *ad 5. 18. p. 85.*

*Merces commiſſa, Commiſſ-* **Waaren**

vindicantur moto concurſu. *ad 5. 5. p. 68.*

*Miles,*

ex cujus pecunia res emta, fit ejus dominus. 5. 6.

*Minor*

poteſt excitare concurſum ſine decreto, *c. 1. §. 5.* quo tamen opus eſt, ſi bona creditoribus diſtribuenda. *ib. not. p. 13.*

*Munera Patrinorum.*

*Vid. Liberi.*

## N.

*Nullitas*

opponi poteſt ſubhaſtationi & toti proceſſui concurſus, 7. 24. quomodo. *ibid.*

## O.

*Oblations-Proceſſe*

unde dicantur Proc. concurrentium creditorum. *p.5.*

*Oblatio. Jus offerendi*

impeditur moto concurſu, *1.8. n. 3.* quod explicatur *not. ibid. p. 19.*

## P.

*Pabulum*

animalibus præſtitum æquiparatur, mercedibus famulorum. *ad 5.18. p. 83.*

*Paraphernalia bona*

non gaudent privilegio dotis, 5. 33. (niſi jure Magdeb. *ibid. not.*) ſed tantum nudam hypothecam habent, *ibid.* niſi adhuc exſtent, dum vindicantur. *ibid.*

**Pathen-Geld.**
*Vid. Liberi.*

*Pecunia, ad emendam rem mutuo data*

tribuit tantum jus perſonale, niſi hypotheca conſtitura, 5. 41. niſi ſit pupilli pecunia, aut Eccleſiæ, furioſi, aut uxoris paraphernalis. *5. 41. ib. not.*

*Pecunia dotalis*

res ex pecunia dotali emta ſit dotalis. *5. 6. ib. not.*

*Pecunia feudalis*

præfertur creditis, conſenſu munitis. *5. 25. & not. ib.*

*Pecunia hereditaria*

tam proprie, quam improprie ſic dicta eſt in ſecunda claſſe ſolvenda. *5. 21. vid. tamen ib. not.*

Niſi quis ob non ſolutum pretium in uno termino uſuras accepit, ex Jure Sax. Elect. *not. ibid. p. 87.* ſecus de Jure comm. 5. 21.

**Pflügerlohn**

æquiparatur merced. famul. in conc. *ad 5. 18. p. 85.*

*Pignus*

manet in dominio debitoris, unde ſoluto debito pignus repetit ex concurſu. *ad 5.5. & 9.*

Sed pendente concurſu cui ſolvet? *ib. p. 68.*

Quid ſi proxeneta pro majori pretio oppignoravit, quam dominus juſſit, & ſuperfluum ſibi retineat? *vid. not. ad 5.9. p. 72.*


Præ-

Digitized by Google

Prætorium non tribuit prioritatem. 5. 55.

*Pœnitentia. Pœnitere.*

integra eſt debitori, etiam jam facta ceſſione bonorum, *ad c. 1. §. 4. p. 11.* excluditur tamen, ſi bona ſemel addicta, *ib.* in Sax. El. poſt annum. *ib.*

*Præcluſio creditorum*

requirit ſententiam juxta communem opinionem. *ad 3. 11. p. 50. diff. Aut. cit. §. 11.*

In Camera Brandenb. vix contingit. *ib. in f.*

*Prædium.*

Emturus prædium caute agit, ſi petat convocari creditores, qui jus aliquod reale habent. *c. 1. §. 3.*

*Prælationis privilegium*

merito competit intur cæteros ei, qui debitoris fugitivi res curavit arreſtari &c. 5. 47. ut hypothecariis præferatur.

*Vid. Dos. Uxor. Fiſcus. Pecunia ad emendum data &c.*

*Prioritas.*

Super ea creditores debent diſputare, 4. 1. an ſimul eodem termino liquidationis? *neg. 4. 2.* praxis tamen contraria, *ibid. not.* non poteſt de prioritate diſputari, niſi probaverint ſua credita creditores. *ib.*

Ad deducendam prioritatem peculiaris terminus dandus, 4. 3. poſſunt tamen, ſi velint, ſtatim ad ſententiam ſubmittere, quo cauſa ſententiam ferre debet. *ad 4. 6. p. 58.*

Si quis prioritatem ex facto privilegiato allegaverit, ad probationem ejus cauſæ admittendus eſt. 4. 7.

Judex ſuper ea poteſt juramentum deferre. 4. 8.

Si prioritas nec per juramentum elici poſſit, eodem loco uterque collocatur, qui diſputant. *p. 60.*

Caſus dubii circa prioritatem aliquot a Carpz. propoſiti referuntur, & deciduntur ex jure March. 5. 81.

*Privilegium perſonale*

habentes meris & nudis chirographariis præferuntur, inter ſe concurrunt regualiter in tributum. *5. 60.*

Habent illi, quibus alimenta promiſſa non ex certo fundo, *§. 62. c. 5.* item qui expreſſe ad rem immobilem emendam crediderunt, 5. 63. etiam venditor ratione pretii de Jure Sax. & civili, *ibid.* etſi praxis extra Sax. contraria. *not. ib. p. 63.*

Pertinet etiam ad ſucceſſorem ſingularem, quando privilegiati intereſt. *5. 36. in f.*

Alia

Digitized by Google

Alia exempla eorum, quibus datur, ſ. 64. quicquid ob ſtudia debetur ſine onere reali, in Sax. iis, qui ſine uſuris crediderunt, qui ad redemtionem captivi, ſalaria præceptorum publicorum (*vid. not. ib.*) &c. medicorum, non in ultimum morbum, frumentum ad alimenta creditum &c. ſ. 64.

Non competit, ſi quis pecuniam ad me perferendam dedit tibi, tu conſumſiſti. ſ. 65.

Dubium, an collegio in bonis collegæ, an ſocio in bonis ſocii, cognatis &c. ſ. 65.

Non competit ſecundum communem opinionem mercedibus opificum, etſi contrarium æquius. *ad ſ. 65. p. 125.*

*Probatio*

crediti in concurſu fieri non tantum per inſtrumenta, ſed etiam per teſtes poteſt. *ad 4. 2. p. 56.*

*Proceſſus concurrentium creditorum*

unde dicatur *Proceſſus Cridæ, not. ad c. 1. §. 1. p. 4.* poteſt delegari. *c. 1. §. 2.*

Motus ſemel (1) inducit litis pendentiam, *c. 1. § 8.* ſi concurſus ab ipſo debitore motus. *ib. not. p. 17.*

Quod fit per literas inhibitoriales vel requiſitoriales, *ibid. pag. 17.* niſi creditor ex cambio agat, *ib.* ſuſpendit executionem alibi latæ ſententiæ, *c. 1 §. 8. quod ampl. not. p. 17.* niſi quis ex jure retentionis prædio inſiſtat ob impenſas factas, *ibid.* (2) ſiſtit curſum uſurarum in Marchia, *c. 1. §. 7. n. 2.* non alibi, *not. ib. p. 18.* (3) inducit cauſæ continentiam, *ibid. n. 4. vid. ſup. lit. C.* (4) inducit communionem bonorum. *ib. n. 5. vid. communio bonorum.*

Ut rite inſtituatur, ante omnia conſtituendus eſt contradictor. 1. 10.

*Procurator*

etiam in concurſu cred. tenetur oſtendere mandatum aut ceſſionem. *3. 2. & ib. not.*

*Pupillus*

præfertur omnibus creditoribus in re, ſua pecunia emta a tutore, *ſ. 6. ibique not. p. 70.* ſecus ſi tertius, ubi tantum hypothecam habet. *ib.*

In bonis tut. vel protut. habet tac. hyp. ſ. 51.

Agens negotiorum geſtorum habet privil. perſonale. *ſ. 60. in f.*

## R.

*Receptitia bona*

uxoris non gaudent privilegio dotis, ſ. 33. ex adminiſtratione tamen

men

Digitized by Google

men ſpontanea ſuſcepta mulier habet tacitam hypothecam, *ib.* non ratione mutui inde contracti. *not. ib. p. 97.*

*Reconventio*

poteſt in proceſſu liquidationis inſtitui a contradictore, ſi exc. compenſationis non ſit liquida. *3. 12. Rat. ib. not. p. 51. ſeq.*

*Reluitio.*

Annus ad reluendum bona, quibus ceſſit, conceſſus debitori in Sax. El. *ad c. 1. §. 4. p. 11. & 7. 17.* non Jure communi, *7. 17. ibid. not.* annus ille Sax. etiam indultus, ut pinguiorem emtorem ſubſtituat, *ib. not. p. 153.* limitatur hoc ex Jure Sax. *ibid. not.*

*Remiſſio*

partis debiti peti nequit communi debitori, niſi concurrentibus creditoribus omnibus, *c. 1. §. 1. & not. p. 5.* & conſuetudo, ad quam provocant, non adeo ſecura, *ib. p. 5.* citati tamen emanentes conqueri nequeunt, & quod major pars decrevit, ratum habere tenentur, *ibid.* modo æquale omnium jus, aut remittentium potius ſit. *ib. in f.*

*Reſpublica*

habet privilegium perſonale. *5. 60.*

*Reſtitutio in integrum*

non habet locum contra motum concurſum a minore &c. ſed ſi in ipſo proceſſu contingat læſio. *c. 1. §. 5.*

Admittitur etiam ex juſta ignorantia contra addictionem prædii vel diſtributionem pretii. *Vid. 7. 26.*

Item datur Eccleſiæ ob debitum hypothecarium non liquidatum contra creditores poſteriores, quibus pretium ſolutum, 7. 27. quod declaratur *ibid.*

Competit omnibus contra venditionem ſub haſta, quibus alias ex Jure communi reſtitutio indulta. 7. 27.

*Retentio.*

Qui retentionis jure ob impenſas poſſidet prædium, non remittendus eſt invitus ad concurſum. *p. 17. & 18.*

Non tribuit jus adminiſtrandi. *1. 11. & ibi not. p. 24.*

Qui jus retentionis habent, in locatione immobilium præferuntur. *1. 13.*

## S.

*Salaria*

Senatoribus & aliis miniſtris civitatis vel Eccleſiæ debita, concurſu moto integra eſſe debent, non tantum præterita, ſed & futura. *c. 1. §. 5. & ibi not. p. 13.*

Neceſſaria tamen tantum relinquenda. *ib. not. p. 13.*

Perſonarum ſacrarum & ſcholaſticarum gaudent jure prælationis in ſecunda claſſe. *5. 18.*



Digitized by Google

*Salarium Contradictoris*
ante omnes claſſes collocari ſolet. *ſ.* 18.

*Senatores.*
Numerus Conſulum & Senatorum ob æs alienum minui poteſt. *ad c. 1. §. 5. p. 13.*

*Sententia*
definitiva in concurſu ferri nequit, niſi creditores de prioritate diſputaverint. 4. 1.
Prioritatis publicanda citatis creditoribus, 5 1. concipitur a Collegio JCtorum, *ibid.* poteſt tamen & in loco judicii concipi, *not. ibid.* quomodo appelletur in Sax. El. *ibid. p. 63.* ejus materialia generalia, *ſ.* 2. materialia quoad ſingulos credit. *ſ. 3. ſeq.*
Secundum quæ ſtatuta concipienda. *ſ. 68.*

*Separationis jus*
qui habent, in ſec. claſſe ſunt. *ſ. 12.*
Competit creditoribus defuncti, ſi bona heredis propria ipſius creditoribus non ſufficiant, *ſ. 12.* & Jure civ. tamen petitio neceſſaria, *ibid. not. p. 76.* ſecus praxi Pomer. *ibid.* intra quinquenn. de Jure civ. petenda, *ſ. 12.* quod tamen non obſervatur in hypothecariis, *ibid.* ratio *in not.* nec in El. Brand. nec Pomer. *ibid.* nec in Ducat. Megapol. *not. ib. p. 76.*
In El. Brand. qui habent jus ſepar. præferuntur conſenſu domini munitis, *ib.* quod de Jure comm. ſecus, *ibid.* ut & Jure recentiori March. *ib. not. p. 77.*
In Pom. tamen & Duc. Megap. obtinet. *ibid.*
Quaſi jus ſeparationis, huic ſtatim adjicitur in claſſe ſecunda, *vid. ſ. 13.* eo gaudet, qui in re vendita ſibi hypothecam reſervavit ante traditionem. *ib. & in not.* it. qui ad diverſas tabernas crediderunt, *ib. not. p. 77.* it. qui filio militi crediderunt. *ib.*

*Servitia feudalia*
Pertinent in Marchia ad debita feudalia, quæ etiam agnatos ſtringunt, ut obligationi feudi ea propt. contractæ conſentire teneatur, ſecus in Sax. *ad ſ. 22. p. 90.*

*Socius*
præfertur in parte ſua aliis omnibus ſocii creditoribus, *ſ. 9.* ſi unus ſociorum ſuo tantum nomine contraxit. *not. ib. p. 72.*
Socii non habent privilegium perſonale. *Vid. Privilegium perſonale.*

*Solennitas,*
quæ requiritur ad alienationem, requiritur etiam ad exſecutionem concurſus. *p. 13.*

*Solutio. Solvere.*
concurſu imminente, uni præ altero creditori ſolvi nequit a debitore. *p. 18.*



Digitized by Google

Res in ſolutum data a debitore hypotheca affecta retinet illam qualitatem. *p.18.*

Ante concurſum res in ſolutum data non retrahitur. *c.1.§.8.*

Probatio ſolutionis etiam ad executionem a contradictore differri poteſt. *3.12.*

Solutio ſi facta a debitore chirographario, aut poſteriori creditori, an poſtea reſcindi poteſt, ſi debitor non fiat ſolvendo? *R.5. 70.71.*

An res, quæ per ſubſtitutionem fideicommiſſariam relicta tertio, & quomodo creditori poſſit dari in ſolutum? *Vid.7.23.*

*Subbaſtatio*

in quo conſiſtat. 7.4.

Ubi peragenda. *ibid.*

Quantum licitator minimum offerre debeat? *7.5.* trina vice ſignificandum pretium oblatum, 7.6. quodnam tempus deſtinatum tribus proſcriptionibus. 7.7.

Ad licitandum omnes admittuntur etiam creditores, liberi &c. *7.8.* etiamſi cum creditore nemo alius concurrat extraneus. 7.*8.*

In licitatione præfertur, qui majorem ſummam offert realiter, 7.9. quod expl. *ib.& in not.* non admittitur creditor poſterior licitaturus ſub lege compenſationis in præjudicium priorum creditorum. 7.*10.*

Si plures ſint licitatores, idem pretium offerentes, quis præferatur, *7.11.* an elapſis temporibus, licitationi præfinitis, nova licitatio opimior admittitur? *Reſp.7.12.*

Calor licitantis quomodo conſtringendus, ne pœniteat. *ib.&not.*

Per addictionem ex ſubhaſtatione omnia jura realia tolluntur, & ſecurus redditur emtor, *7.12.* non tamen onera, magiſtratui ex ea re ſolvenda, *7.19. L.2.C. de reſc. venditione.* an & quando locum habeat in ſubhaſtat. *vid.7.26.* an ob novum repertum inſtrumentum addictio impugnari poteſt? *Vid.7.26.*

Contra ſubhaſtationem datur reſtitutio etiam in integrum & quando, *7.27.*

*Sumtus ad concurſum*

neceſſarii ſuppeditandi ex bonis liquidati, *1.12.* per curatorem ad mandatum tamen judicis, *ibid. not.* licet omnia bona per immisſionem poſſeſſa. *1.12.* a quocunque demum, *ibid. not.* pro rata bonorum, quatenus creditores poſſident, *1.12.* etiam a vidua retentionis jure utente. *ibid.*

Præferuntur doti & omnibus creditis, 1.12. ſi ex reditibus non poſſint ſolvi, refundendi ſunt ei ex creditoribus, qui aliquid de ſuo erogavit, etiam pendente concurſu. *ad 1.12.*

Proprii commodi gratia, aut propter temerariam litem ab uno

creditorum erogati non repetuntur ex bonis. *ad 1. 12. p. 26.*
Ante omnes claſſes collocandi. 5. 4.

T.

*Taxatio*

bonorum debitoris per idoneos & peritos rerum, quæ taxandæ, facienda, 7. 2. quod ſignificandum etiam creditoribus. *ib.*
Præferenda ſubhaſtationi. *ib. & not.*
Quid in ea obſervandum. *ib. & not.*
Facta publicanda eſt, ut eligant aut acceptationem in ſolutum, aut ſubhaſtationem. *7. 3.*

*Terminus*

in ſecundo termino idem agitur, quod in primo. 3. 11.
In Tertio demum termino præcluduntur, qui in nullo comparuerunt, *ib.* niſi juſta probetur ignorantiæ cauſa. *ibid.*
Liquidationis diverſus eſt a termino deducendæ prioritatis. 4. 3.

*Tributa. Vid. Fiſcus.*

V.

*Venditor,*

qui fidem non habuit, manet dominus. 5. 7.
Idem, ſi fraude emtoris inductus fidem habuit, *ibid.* aut ſi dominium ſibi reſervavit, *ib.* ad quam reſervationem in feudis nec domini, nec agnatorum opus eſt conſenſu. 5. 7.

*Vidua*

ſolet viduæ defuncti, ſuper cujus bonis concurſus exortus, nonnunquam concedi adminiſtratio, quod periculoſum. 3. 11.
In bonis curat. ad litem non habet tac. hyp. 5. 51. n. 2. niſi adminiſtratio ſimul committatur. *not. p. 111.*

*Uſuræ.*

Uſurarum curſus ſiſtitur in Marchia per concurſum cred. *c. 1. § 8.* ratio, *not. ib. p. 18.* non alibi, nec in Sax. & cur non. *ib. p. 18.*
Si de iis quæſtio ſit inter creditorem & debitorem, quomodo liquidandæ & probandæ. 3. 6.
Uſuræ cum capitali adjudicantur in Marchia, *5. 2. n. 5. & ib. not.* non in Sax. El. *ib. n. 4.* nec in Brand. jure retorſionis, *ib. & not. p. 66.* ſingularis hac de re conſtitutio in Ducatu Hannoverano recenſetur *p. 65. ſeqq.*
Jure Civ. cum ſorte addicuntur, 5. 73. non Jure Sax. quod lim. *ib.* in March. obtinet jus Civ. niſi jure retorſionis contra Saxones. *ib.*

*Uxor*

ex dote ſepelienda. *ad 5. 14. Vid. Dos. Pecunia dotalis. Paraphernalia. Receptitia.*
In donatione propter nuptias non gaudet privilegio dotis, 5. 3 ſed tantum hypotheca, *ib.* non æque Jure Sax. *ib. not.* quid de dotalitio? *plur.* 5. 34. *ibiq; not.* ubi diſt. privilegium ſuum, quod hypothecis prioribus præferatur, non transmittit ad heredes, 5. 35. nec cedere poteſt, *ibid.* ratione paraphernalium habet tacitam hypothecam. *5. 51. n. 6.*

S. D. G.

Digitized by Google